Reel Contents

Reel Contents (2)

11. Schmidt, B. H. / De Cornuti Theologiae graecae compendio ...
12. Retzlaff, O. / Vorschule zu Homer. I. Homerische Antiquitäten in Form ...
13. Proskauer, C. / Das auslautende -s auf den lateinischen inschriften ...
14. Rasch, F. / De productione brevium syllabarum in Homeri Iliade
15. Raschke, R. / De Alberico mythologo
16. Reudler, R. T. F. / Tirocinia critica in Dionysii Halicarnassensis ...
17. Steinacher, J. / Die Syntax des Hesiodeischen infinitivs, mit ...
18. Steinmeyer, E. von / De glossis quibusdam Vergilianis : ...
19. Strobl, K. / Euripides und die bedeutung seiner aussprüche ...
20. Struck, E. / De Terentio et Donato, dissertatio inauguralis quam ...
21. Ring, M. / Zur Tropik Pindar's ...

Reel Contents (3)

DE

M. TULLI CICERONIS ORATIONE

DE

DOMO SUA AD PONTIFICES

SCRIPSIT

Karl

CAROLUS RÜCK.

PROGRAMMA

GYMNASII GUILIELMINI MONACENSIS.

MDCCCLXXXI.

1881



MONACHII.

TYPOS CURAVIT H. KUTZNER.

Orationem de domo,[1]) quae per tot saecula communi virorum litteratorum consensu M. Tullio Ciceroni tribuebatur, primus Jer. Marklandus,[2]) magna vir inter Anglos auctoritate, ab eo scriptore, cuius inter orationes in omnibus codicibus tradita est, abiudicavit eoque indignissimam esse multis argumentis confirmare conatus est. Qui cum illi controversiae,[3]) de Ciceronis ad M. Brutum epistolis inter Jacobum Tunstallum et Con. Middletonum exortae, libello[4]) Anglice scripto interveniret, non solum Tunstalli sententiam comprobans, illas Ciceronis et Bruti epistolas exercitationi scholae rhetoricae esse tribuendas[5]) docuit, verum etiam quattuor orationum: post reditum in senatu, de domo sua ad pontifices, de haruspicum responso[6]) quemvis

---

1) Hanc inscriptionem de domo invenimus in codice Parisino num. 7794 omnium, in quibus haec oratio tradita est, longe optimo, apud Priscianum, Arusianum Messium, Servium, Grillium, Aquilam Romanum, Rufinianum. cf. Cic. ad Att. IV, 2: Post datas illas litteras secuta est summa contentio de domo; et Quintil. X, 1 (Halm): nam de domo Ciceronis dixit Calidius.

2) Guil. Bowyer, scriptor libelli: a dissertation, in which the objections of late pamphlet to the writings of the ancients, after the manner of Mr. Markland, are clearly answered etc., Marklandum divae Criticae unicas delicias vocavit. v. Fr. A. Wolf: M. Tulli Ciceronis quae vulgo feruntur orationes quattuor cum animadversionibus integris Marklandi et J. M. Gesneri. Berolini 1801. pag. X. et Orelli, onomasticon Tullianum I. p. 433. Nichol's anecdotes of Bowyer, London 1782. p. 189.

3) V. Wolfii editionem IV orationum p. VI seqq. et C. Fr. Hermanni vindicias latinitatis epistolarum Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem. Gottingae 1844. p. 3 seqq.

4) Hic libellus sic inscribitur: Remarks on the epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero, in a letter to a Friend. With a dissertation upon four Orations ascribed to M. Tullius Cicero etc. Extracts out of the Notes of learned Men upon those Orations on them. By Jer. Markland, Fellow of St. Peter's College, Cambridge. London a. 1745.

5) Idem nuperrime iudicavit Paul Meyer: Untersuchung über die Frage der Echtheit des Briefwechsels Cicero ad Brutum. Stuttgart 1881.

6) de inscriptione harum orat. v. Halmium in: „Über Ciceros Rede pro C. Rabirio Postumo“. Abhandl. der I. Kl. der K. bayer. Akad. d. W. VII. Bd. III. Abt. p. 625 ann. 6.; „Merkwürdig ist, daſs selbst die Aufschrift dieser Reden

alium quam Ciceronem auctorem esse oportere declaravit. Nam inter eas et germanos libros Tullii tantum differre, quantum inter hominem incorrupta sanitate et vigore atque inter eum, qui paralysi captus et debilitatus esset. Quamquam autem illa aetas[1]) unice favebat iis, qui antiquis titulis nihil moti veterum scriptorum libros inter dubios et tamquam subditicios reicere non dubitabant, tamen Marklandi sententia minime, ne inter Anglos quidem, omnium assensu comprobata est. Nam contra eum disputavit Rossius episcopus,[2]) qui libello,[3]) Londini anno 1745. vel 1746. edito, Marklandum ita refellere conatus est, ut iis legibus criticis, quibus ille usus erat, quemlibet antiquitatis librum in dubium vocari posse demonstraret. At multo acriorem defensorem illae IV orationes nactae sunt in Germania, ubi Joa. Mathias Gesnerus, vir cum omni ex parte praeclarus, tum latini sermonis existimator intellegentissimus, duabus praelectionibus a. 1753. et 1754. Gottingae habitis et tomo III. commentariorum soc. reg. Gottingensis insertis, quodcunque Marklandus notaverat, refutavit et omni studio Ciceronis titulum verum esse docuit nulla causa reperta cur sententiam mutaret. Cuius viri et singulari acumini et copiosae doctrinae Marklandus resistere ausus non est, sed quamquam ille libellus eum latere vix poterat,[4]) obmutuit. Neque omnino quisquam erat, qui tum controversia a Gesnero diiudicata a Marklando staret. Immo vero ii, qui tum in latini sermonis scientia principes habebantur, neque numero neque pondere Marklandi argumentorum adduci poterant, ut illas quattuor orationes a Cicerone scribi non potuisse crederent. Ac Ruhnkenius[5]) quidem, vir elegantissimus, ora-

---

erst jetzt sichergestellt ist. So heifsen die Reden post reditum in senatu und ad Quirites: oratio cum senatui (populo) gratias egit. Der Versuch in Lahmayers Abhandlung (Göttingen 1850. 8.) der Rede de haruspicum responsis den Titel de haruspicum responso zu vindizieren, hat sich als unrichtig erwiesen". At cf. Wilh. Hoffmann: de fide et auctoritate orationis Ciceronianae, quae inscribitur de haruspicum responso. Burg. 1878 et Ascon. edd. Kiessling et Schöll p. 61, 28: in ea autem, quam post aliquot annos habuit de aruspicum responso.

1) Praeter illas epistolas et quattuor orationes Marklando etiam libros de oratore suspectos fuisse ex Wolfii anal. litter. (vol. II. p. 308) scimus.

2) V. Wolf, p. X; Orelli, onomast. Tullianum I, p. 433.

3) Qui libellus sic inscribitur: A dissertation, in which the Defence of P. Sulla ascribed to M. T. Cicero is clearly proved to be spurious, after the manner of Mr. Markland, with some introductory Remarks on other Writings of the Ancients never before suspected. London.

4) V. Wolf, p. XVIII. annot.

5) Ruhnkenius ad Velleium p. 64: Cicero de orat. III. 38: Inusitata sunt, prisca fere ac vetusta; pro domo 47: veteribus et priscis institutis; ubi Graevius

tionem de domo et de haruspicum responso certo Ciceroni tribuit. Neque magis eius discipulo, Wyttenbachio, Marklandi argumentandi ratio persuasit, qui in vita Davidis Ruhnkenii[1]) se Marklando assentiri negavit. Summus Ernestius, editor Ciceronis librorum, adeo Marklandi sententiam repudiavit, ut illius controversiae nusquam ne mentionem quidem faceret. Garatonius, qui Wolfio maxime idoneus videbatur, cui illa contentio committeretur, in vulgata sententia acquiescendum esse putavit. Interim, cum iam omnis controversia, Marklandi causa desperata, in oblivione iaceret, Frid. Augustus Wolfius, philologiae ἥρως ἐπώνυμος, eam redintegravit; qui anno 1801. Berolini illas IV orationes eo consilio edidit, ut Cicerone eas indignissimas et declamatorio studio vel exercendi vel ostentandi ingenii causa conscriptas esse demonstraret. Qua in editione omnia ad eam unam rem rettulit, ut eas orationes ex integro scriptoris corpore eximendas ostenderet et imprimis, ut lectores iudiciis suis periclitari possent, universas Marklandi et Gesneri contrarias disputationes et animadversiones, suis quasque locis, partim in vestibulo editionis, partim sub textu repetivit. Huius viri interventu tanta commutatio est facta, ut omnes illius aetatis viri docti illas orationes pro suppositiciis habendas esse existimarent. Atque haud scio an non multum fallamur, si neminem eorum incorrupto iudicio ad hanc quaestionem accessisse omnesque Wolfii nomine et auctoritate, non ratione et vi argumentorum esse superatos sentimus. Quam festinanter, velut armis abiectis, in Wolfii sententiam concessum sit, intellegas ex Goethei, principis poetae, voce, qui festive haec narravit:[2]) Wenn wir ihm (Fr. A. Wolf) nun sehr willig zugaben, dafs einige Reden Ciceros, vor denen wir den gröfsten Respekt hatten, weil sie zu unserem wenigen Latein uns behülflich gewesen waren, für später untergeschobenes Machwerk und keineswegs für sonderliche Redemuster zu achten seien, so wollte er uns dagegen keineswegs zugeben, dafs man auch die überbliebenen Bildwerke nach einer gewissen Zeitfolge zuversichtlich ordnen könne. Ii, qui illa aetate Ciceronis libros edendos curaverunt, Chr. Dan. Beck, Chr. Gdfr. Schütz, Jo. Casp. Orelli,

---

favere videtur deteriori locutioni. At Cicero utrumque coniunxit exemplo oratorum Atticorum.

[1]) V. Dav. Ruhnkenii a Daniele Wyttenbachio scripta, p. 219: De epistolis iam ante Marklandum dubia moverat Jakobus Tunstallus, in epistola ad Middletonum, edita Cantabrigii, 1741. De his assentior: de Orationibus non item. Sic adhuc quidem sentio.

[2]) V. Goethes Briefe an Friedrich August Wolf. Herausgegeben von Michael Bernays. Berlin 1868. p. 54. ann. 92.

Fr. A. Nobbe se omnes a Wolfio stare confessi sunt. Non in animo est, omnium nomina afferre, qui de oratione de domo, quam tractandam suscepimus, vel omnibus de quattuor orationibus Wolfium secuti sunt. Satis habeo eorum mentionem fecisse, quorum iudicia apud viros doctos plurimum valent:

B. G. Niebuhr, römische Geschichte, II. p. 333. n. 673 (ad Cic. pro Fonteio p. 36).

Jo. Nic. Madvig, de locis aliquot grammaticae latinae admonitiones et observationes (opuscula academica altera. Hauniae 1842. p. 220.)[1])

K. Reisig, Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft. Leipzig 1839. p. 562.

Bernhardy, Grundrifs der römischen Literatur. 4. Bearbeitung. p. 776.

Cum primis huius saeculi lustris omnes sententiam Wolfii probarent, anno 1828. primus Jo. Aug. Savels[2]) illarum orationum patrocinium suscepit, qui tria disputando sibi demonstranda proposuerat: primum a Cicerone scriptas esse orationes de argumentis, quae illis orationibus pertractarentur, alterum inde a Ciceronis aetate usque ad Prisciani tempora constanter ab omnibus easdem, quas nunc haberemus, orationes pro Ciceronianis habitas atque laudatas esse, tertium in ipsis orationibus nihil inesse merito scriptoris, quod a Ciceronis manu et ingenio proficisci non potuerit. Sed cum in ea disputatione vir doctus non omnes, sed paucos locos pertractaret, brevi tempore commentarios in singulas orationes se conscripturum promisit. Ita prodierunt eius opera editio orationis post reditum in senatu (Coloniae anno 1830) et commentatio de M. Tulli Ciceronis oratione pro domo sua ad pontifices (Asnidiae 1833), qua XII capita, quae prima sunt in ea oratione, examinantur. Post Savelsium illas orationes Ciceroni vindicaverunt:

Th. Lucas, quaestionum Tullianarum specimen. Hirschberg 1837;

Reinhold Klotz, M. T. C. sämtl. Reden III (1839) p. 208 et aliis locis;

Drumann, Geschichte Roms. V. p. 470 seqq. et aliis locis (1841);

---

[1]) „in oratione pro domo, modo ea Ciceronis sit". In advers. crit. II. p. 211 vir egregius, quin Ciceronis orationes sint, non dubitat. „Sunt hae orationes tumidae ...., sed Ciceronis sunt, de statu deiecti, pristinum dignitatis et auctoritatis fastigium neque firmis viribus neque constanti et gravi animo repetentis, maiores quidem duae certissimae."

[2]) disputatio de vindicandis M. Tull. Ciceronis quinque oratt. post reditum in senatu, ad Quirites post reditum, pro domo sua ad pontifices, de haruspicum responsis, pro M. Marcello. Coloniae 1828.

C. Fr. Hermann, vindiciae latinitatis epistolarum ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem. Gottingae 1844. p. 4.

C. H. Frotscher, in editione vitae Davidis Ruhnkenii a Daniele Wyttenbachio scripta. Fribergae 1846. p. 131.

Nägelsbach, lat. Stilistik.

G. Lahmayer, in ea disputatione, qua orationis de haruspicum responso habitae originem Tullianam defendit. (1850).

C. Halm, in editione Turicensi a. 1856, vol. II, 2 p. IX.

H. Wagner, M. Tulli Ciceronis oratio post reditum in senatu. 1857.

Guil. S. Teuffel, Geschichte der römischen Literatur. 1875. p. 320.

Mommsenus variis locis libri qui inscribitur de iure publico populi Romani.

Iwan Mueller in: Jahresb. herausg. von C. Bursian 1874—75, p. 689.

Guil. Hoffmann, de fide et auctoritate orationis Ciceronianae, quae inscribitur de haruspicum responso. Burg. 1878.

Quamquam autem numerus eorum, qui illas orationes Ciceronis esse existimant, iam maior est, tamen haud supervacaneam operam mihi susceptururus esse videbar, si, cum reliquae tres orationes peculiaribus editionibus ac commentationibus iterum ac saepius defensae sint, ego ad orationem de domo M. Tullio vindicandam accederem, cuius duodecim tantum capita a Savelsio esse defensa supra demonstravimus. Accedit, quod nuper quoque Eduardus Luebbertus[1]) (commentationes syntacticae. Particula I. Gissae 1871.) denuo de hac oratione suspicionem movit et C. L. Kayser in editione M. T. C. operum (vol. IV. p. IX) illas orationes eas esse iudicavit, in quibus omnia magistrum redolerent, qui antiquitatum et historiae cognitionem verborum quandam copiam et volubilitatem sibi comparavisset, ingenii vim et celeritatem, decori sensum, iudicii acumen, dicendi suavitatem et leporem, quae natura ei negasset, adipisci scilicet non potuisset.[2]) Qua in re eam rationem mihi instituendam esse existimo, ut primum testimoniis veterum allatis Ciceronem de domo sua verba fecisse demonstrem et multis, qui in veterum scriptorum, rhetorum, grammaticorum inveniuntur locis, ab iis eam orationem, quae ad nos pervenit et hodie in omnium manibus

---

[1]) p. 5: insunt in hac oratione loci nonnulli, in quibus Wolfium acumen suum non fefellit, qui ita ipso dicendi genere a Ciceronis more differunt, ut interpolationis gravioris vestigia haud dubie prodant et seqq.

[2]) Grotenfeltii Car. Herm. Ossiani libellum de oratione, quam Cicero de domo sua habuit, inventione et dispositione (Helingforsiae 1879) mihi inspicere non licuit.

est, pro genuina esse habitam comprobem; deinde ea, quae Marklando et Wolfio offensioni erant, aut librariis deberi aut a censoribus iniuria esse improbata doceam.

Atque primum quidem Cicero ipse testatur, a se orationem de domo esse habitam; nam in ep. ad Atticum IV, 2 scriptum est:

„Post illas datas litteras secuta est summa contentio de domo. Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et si unquam in dicendo fuimus alquid, aut etiam, si nunquam alias fuimus, tum profecto † dolor et magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti[1]) nostrae deberi non potest; quam tibi, etiamsi non desideras, tamen mittam cito.“

Ex his ipsis Ciceronis verbis Marklandus (p. LXIX) concludi posse opinatur, genuinam orationem ad nos non pervenisse; neque enim hoc illustrissimum testimonium huic orationi, qua nihil ieiunius, insulsius, putidius cogitari possit, convenire. Si Asconius illud testimonium attulisset, Marklando assentirer, quamquam veterum iudicia saepe cum nostris non congruunt. Velut neminem fugit, testimonium Eumenii (paneg. Const. 14, 2) honorificentissimum, qui Frontonem romanae eloquentiae non secundum, sed alterum decus vocavit, illo rhetore, cuius iudicium a sanitate longe afuit, nobis indignissimum esse videri. Deinde quis nescit, quantopere homines docti laborent, ut Quintiliani iudicium, qui in inst. or. lib. X. c. I § 83. Aristotelis eloquendi suavitatem laudat, recte explicent? Sed illud testimonium affert de se Cicero ipse, qui, quantopere sibi placuerit, satis scimus. Itaque ea, quae Marklandus voluit, concludi non possunt.

Deinde Marklandus (p. LXIX) eo illud Ciceronis testimonium cum hac oratione consentire negat, quod, cum C. rem accurate a se esse actam dicat, orationis de domo maxima pars ad rem non pertineat, sed tralaticias de Clodio et Clodiana factione historias amplectatur. Imprimis eum offenderunt, quae in c. XII. § 32 leguntur: „intelligo me plura extra causam dixisse“. At similia saepissime in C. orationibus inveniuntur. Semper C. suam causam cum publica coniunxit velut in Sest. c. XIII., Flacc. c. XL., pro Mur. c. I., pro Mil. c. IX., pro Arch. c. VI., in Verr. III, 69.

Deinde Quintilianus orationem de domo a Cicerone et habitam et editam esse auctor est; nam in inst. or. lib. I, 1, 23 scripsit: Quin etiam

---

[1]) cf. Halm ad Sest. p. 105.

easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire; nam de domo Ciceronis dixit Calidius.[1])

Tum Dio Cassius in historia romana Ciceronem apud pontifices orationem habuisse confirmat; in l. XXXIX § 11 legitur: τὴν γὰρ ἐσφορὰν τοῦ φρατριατικοῦ νόμου, παρ' ἣν ἐκ τῶν εὐπατριδῶν ἐς τὸ πλῆθος ἐπεποίητο, διαβάλλων, ὡς οὐκ ἐν τοῖς ὡρισμένοις ἐκ τῶν πατρίων χρόνοις ἐκτεθέντος αὐτοῦ, τήν τε δημαρχίαν τοῦ Κλωδίου πᾶσαν, ἐν ᾗ καὶ τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν ἐδέδοκτο, κατέλυε, λέγων οὐχ οἷόν τε εἶναι, τῆς μεταστάσεως αὐτοῦ τῆς ἐς τὸν ὅμιλον παρανόμως γεγενημένης, ὑγιές τι τῶν ἐν αὐτῇ πραχθέντων νομίζεσθαι, καὶ ἔπεισε διὰ τούτου τοὺς ποντίφικας τὸ ἔδαφός οἱ ὡς καὶ ὅσιον καὶ βέβηλον ὂν ἀποδοῦναι.

Quoniam autem a. C. orationem de domo et habitam et editam esse demonstravimus, afferamus singulos locos a veteribus scriptoribus ex hac oratione repetitos, ex quibus consequens est, ut illi eam orationem, quae ad nostram aetatem pervenit, pro vera et genuina habuerint.

Initium autem mihi capiendum est a testimonio Valeri Maximi, cuius verba in libri VI § 3 „eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit: area vero domus eius, quo iustitia supplicii notior ad posteros perveniret, Aequimaeli appellationem traxit" imitatione efficta sunt ex sententia, quae in h. or. c. XXXVIII (Sp. Maelii regnum appetentis domus est complanata. † Et qui aliud? aequum accidisse populus Romanus Maelio iudicavit: nomine ipso Aequimaelii iustitia poenae comprobata est.) legitur.

Deinde Aquila Romanus in libro, qui inscribitur de figuris sententiarum et elocutionis, duos locos ex hac oratione repetivit in § 18: (in p. 28 edit. rhet. lat. min. ab Halmio curatae) Quis est iste Lollius? armiger Catilinae, stipator tui corporis, concitator tabernariorum percussor, lapidator fori, depopulator curiae; in § 8: (p. 24) Videsne me radicitus evellere totum tribunatum tuum? Haec verba leguntur in h. or. c. XIII, illa in c. V.

Tum Iulius Rufinianus hos duos locos ex c. IX et XVIII desumpsit: (in § 9, p. 41 ed. Halm.) Tibi literas ille misit? quas? quas aut numquam misit aut si misit, in contione recitari noluit. Itaque sive ille misit, sive tu protulisti, certe consilium tuum de honore Catonis nudatum est; et in § 7: (in ed. Halm. p. 40) Sexte noster, quoniam etiam iura ligurrris.

Atque Grillius ex § 1 huis orationis haec laudat (§ 1, in Halm edit. p. 596): Cum multa divinitus, pontifices, a maioribus nostris inventa sunt,

[1]) cf. Cic. Brut. 79, 274.

et ex § 2 haec (§ 21, in edit. Halm. p. 605): Tune es ille, inquit, quo senatus carere non potuit?

Pompeius autem grammaticus in commentariolo in librum Donati de barbarismis et metaplasmis (p. 467 ed. Lindem. t. II) haec verba ex c. X. attulit: matricida, fratricida, sororicida.

Porro Servius ad Verg. Aen. VIII, 269 laudat Ciceronis orationem de domo et ex eius c. LII haec profert: Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae proditum est, ab ipso Hercule, perfuncto laboribus, sacra didicisse.

Et Martianus Capella in l. V. § 528 scripsit: Quis est iste Lollius, qui sine ferro ne nunc quidem tecum est? quis est ille Lollius, armiger Catilinae, stipator tui corporis, concitator tabernariorum, percussor, lapidator curiae; et in § 512: Et Cicero „cum senatum a gubernaculis deiecisses, populum Romanum e navi exturbasses, ipse archipirata cum grege praedonum impurissimo plenissimis velis navigares“. Haec leguntur in c. V et X or. de domo.

Apud Priscianum autem in l. XII, 23 (grammat. lat. ex rec. Keilii II, p. 591) scriptum est: Cicero de domo sua: vobismet ipsis pontifices. Haec verba inveniuntur in c. XVII.

Denique plurima testimonia sunt apud Arusianum Messium in exemplis elocutionum: p. 261 ed. Lindemann.: (sub: hac re pro in hac re) Cicero de domo sua: Frumentum clausum continebant, ut sub novum mitterent (ex c. V).

p. 210: (sub voce: adhibet illi) Cicero de domo sua: Crudelitatem expromo quam in me ipsum ac meos adhibuistis (ex c. XXIII).

p. 239: (sub: immigrat in domum) Cic. de domo sua: Deos immortales existimatis, cuius labore et eum domum afflictam et aversam immigrare voluisse (ex c. XLI).

p. 239: (sub: imposuit in illa re) Cic. de domo sua: Non ita crudelem fuisse, ut viventis etiam et spirantis capitibus eum suis navibus imponeret (ex c. LII).

p. 257: (sub voce: praeeo tibi) Cic. de domo sua: Aut mihi praeeatis, aut postem teneatis (ex c. LII).

p. 222: (sub: dolet illa re) Cic. de domo et rep. Vicem lugeo.[1])

---

[1]) Vide van der Hoeven, specimen literarum de nonnullis locis veterum scriptorum cet. Amstelodami 1845, p. 43.

Utrum autem Frontonis verba (p. 89, 20 edit. Naber.): postea etiam inguen ex ulcere exstitit (cf. de domo c. V) ex hac oratione desumpta sint, an ex Lucilio (cf. C. Lucili saturarum reliquiae, emendavit L. Mueller p. 275, 8) incertum est. cf. Rud. Klussmann, emendationes Frontonianae p. 78.

In orat. de domo Asconium enarrationem fecisse licet suspicari. Qui cum saepe audientes rerum antea commemoratarum commonefaciat, in eis quoque, quae annotavit ad Pis. § 62, haec verba fecit: Quis hic M. Piso fuerit, credo vos ignorare. Fuit autem, ut puto iam nos dixisse, Pupius Piso cet. Potuit autem Asconius de Pupio Pisone dicere in enarrat. ad or. de domo § 35, ubi scriptum est: non aetas eius est quaesita, ut in Cn. Aufidio, M. Pupio, quorum alter Oresten, alter Pisonem adoptavit. Sed coniectura tantum hoc nititur. Vide Q. Asconii Pediani enarratio rec. A. Kiessling et R. Schöll. praef. p. XVI seqq.

Haec sunt veterum scriptorum, rhetorum grammaticorum testimonia. Neque maior eorum pars adversariis ignota erant. Numero autem multorum locorum ut sententiam suam mutarent, adeo non sunt permoti, ut veteres testes ipsos a declamatore deceptos esse dicerent. Atque Marklandus quidem, ut tolleret illud testimonium Valeri Maximi, quem ex huius or. c. XXXVIII sententiam sibi desumpsisse supra demonstravimus, hanc orationem inter editum librum Valeri Maximi et Asconii commentarios, qui primus orationem de harusp. responso laudavit, confectam esse statuit; declamatorem autem sententiam suam a Valerio mutuatum esse eamque edidisse sub Ciceronis nomine et mox Asconium, Quintilianum, Servium, Aquilam Romanum alios in fraudem induxisse. Et haec sententia Marklando eo potissimum probabatur, quod, cum apud Valerium sermo rectus esset ac proprius, verba c. 38. „aequum accidisse Maelio est" puerilia et ridicula ei esse videbantur. At virorum doctorum, Duebneri (revue de philol. I. p. 262), et F. Zschechii,[1]) disquisitionibus effectum est, ut Valerius Ciceronis maxime aemulus fuerit et magnam partem exemplorum, quae libri IX exhibent, ex Tullii libris repetiverit. Neque quidquam ponderis habet argumentum Marklandi, cui Valerium ita usum esse verbis Ciceronis, ut illius latinitate non acquiesceret, minime verisimile videbatur; [2]) nam hoc [3]) quoque constat, Valerium non solum ad verbum

---

[1]) Fr. Zschech, de Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus. Berolini p. 15 seqq.

[2]) apud Wolfium, p. LXXVII.

[3]) V. Zschech, p. 23.

auctorem suum secutum esse, sed etiam haud raro, ut oratorium ornamentum augeret, nonnulla immutasse et ex suo ingenio admiscuisse. Accedit, quod hoc quidem, quicunque integro iudicio ac tranquillo animo utitur, facile concedit, in oratione de domo multo magis memoriam sermonis Ciceroniani remansisse, quam in Valerii Maximi libris, qui „et in singulis notionibus et in sententiis exprimendis poeticam licentiam non modo imitaretur, verum etiam supergrederetur“. [1]) Itaque quocunque me verto, undique apparet non orationis de domo scriptorem, sed Valerium illam sententiam imitatione effinxisse.

Nec probabilius iudicasse mihi videtur Wolfius, qui ut veterum testimonia minueret aut tolleret, ad eam sententiam confugit, qua declamatorem aliquot deperditas Ciceronis orationes ante oculos habuisse indeque et res et sententias quasdam Cicerone non indignas mutuatum esse existimavit. At quis sibi persuadeat, primo vel secundo post Christum natum saeculo, quibus Ciceronis orationes diligenter legebantur, subditiciam orationem cum germana esse commutatam et in bibliothecis in eius locum successisse? Quam non probabile est, Aquilam Romanum, Rufinianum, ceteros, qui locos ex oratione de domo laudaverunt, deceptos esse a Ciceronis simiolo, qui tam pueriliter contra logicam veritatem sententiarum peccavisse dicitur, ut non eloquentiae magistrum, sed infantem hominem audire Wolfius sibi videretur. Adde quod Wolfii sententia nullo certo argumento nititur, sed opinionis arbitrio. Nam quae erant illae deperditae orationes? Haec omnia animo perlustrans adduci non possum, ut veterum testimonia pro nihilo putanda esse cum Marklando et Wolfio credam.

Quoniam haec docuimus, transeundum est ad alteram commentationis partem, qua ea, quae Cicerone indigna adversariis videbantur, tractabimus. In qua mihi dicendum erit primum de textu orat. de domo; deinde de iis rebus, quae contra historiae fidem scripta esse dicuntur; tum de argumentis ex arte grammatica petitis; denique de iis locis, ubi in elocutione aut delectu verborum declamator peccavisse dicitur. Reliqui autem loci, quos adversarii non recte intellexerunt aut declamatorios, ineptos, ridiculos, minus perspicuos dixerunt, hac commentatione non explanabuntur.

I. De textu.

Ex quo codex Parisinus n. 7794 ab Halmio collatus est, plurimorum vitiorum culpam in librarios conferendam esse facile est intellectu. Itaque

---

[1]) Haec verba Kempfii leguntur in eius edit. Val. Max. librorum, p. 36; cf. quid Guil. S. Teuffel in hist. litt. rom. edit. III. p. 621 de V. M. iudicaverit.

multa, quae Marklando et Wolfio notanda videbantur, profligata sunt vera lectione restituta. Praeterea viri docti, maxime Halmius et Madvigius, praeclare de orationis emendatione meriti sunt. Nuperrime Ludovicus Lange,[1]) vir egregius, in spicilegio critico plurimos huius orationis locos tractavit. Nostrum igitur est, textum recensere et eos locos enumerare in quorum scriptura a Baiteri textu (Turici 1855) recedendum nobis videtur. Qua in re quod novo subsidio uti mihi licet, valde laetor, Carolus enim Halmius, magister meus carissimus, tanta erat erga me benevolentia, ut mihi suum huius orat. exemplum daret, in cuius marginibus multas emendationes adscriptas inveni. Quibus auctoris nomine religiose subscripto usus sum.

I. 1. Cum multa divinitus, pontifices, a maioribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod eosdem et religionibus deorum immortalium et summae reipublicae praeesse voluerunt, ut amplissimi et clarissimi cives rempublicam bene gerendo religiones, religionum ius sapienter interpretando rempublicam conservarent. Baiterus et Kayserus ex Halmii coniectura ediderunt: religionum ius pro codicum: religionibus. Langius l. l. p. 15 potius religionibus interpretandis mutandum esse censuit. Minime. Mihi quidem non est dubium, quin religionum ius multo facilius in religionibus mutari potuerit quam interpretandis in interpretando.

I. 1. Quodsi ullo tempore magna causa in sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata est.

Non dubito, quin verissime scripserit Langius (p. 12): magna causa sacerdotum populi Romani in iudicio .... In codicibus in omissum est. Baiterus in post causa inseruerat.

I. 2. Sin autem .... rescinduntur. Codd. P G M V praebent: rescinduntur. Scribendum est: rescindentur. (Halmius in margine libri: rescindantur aut rescindentur.) Iam Ernestius proposuerat: rescindantur; respondere enim coniunctivo defenderit in antecedentibus. Sed defenderit illo loco est futurum exactum.

II. 3. Langius p. 5 Baiteri lectionem specie ipsa et dignitate rempublicam a Kaysero spretam esse questus est. Sed mihi rectissime K. vulgatam lectionem specie ipsa dignitatem reipublicae resti-

---

[1]) Ludovicus Langius, spicilegium criticum in Ciceronis orationem de domo. Lipsiae. Prodiit mense Nov., haec commentatio iam confecta erat mense Quintili.

tuisse videtur et concinnitate orationis (non solum consiliis suis — sed etiam specie ipsa) et codicum auctoritate G P (habet rasuram post ipsa) V commendatam.

III. 5. Hunc igitur — cedere curasti.

Offenderunt Marklandum et Wolfium et constructio et verbum ignavum (curasti). Quamquam Salvesius in comment. p. 8 alterum huius constructionis exemplum attulit (de orat. II c. 6), tamen curasti verbum h. l. vix ferri potest.

Langius p. 6 verba: ne cum improbis boni ferro dimicarent interpolata et ab eo, qui primus ea in contextum inseruisset, verbum illud, a quo Cicero accusativum hunc tu civem pendere voluisset, corruptum esse dixit. Parvam probabilitatem haec coniectura habet; nam primum enuntiatio finalis: ne — dimicarent bene explicari potest; deinde verbum cedere omitti non posse ex § 99 (privatus consulibus cesserim) apparet. Certa medela illius curisti quod cod. P. habet afferi non potest; maxime probabilis coniectura Lambini est: coegisti. Cicero in orationibus quater scripsit: decedere coegit, Verr. act. II. lib. II c. 17, 43; pro Font. c. 6, 13; ib. c. 6, 14; Catil. IV c. 10, 21. cf. Phil. IX, c. 4, 9: cedere cogebatur magnitudini animi.

III. 7. an aures regatila de qua agebatur, ut rem ipsam repudiare ..... deberem. Madvigius in advers. crit. t. II p. 215 proposuit: an ea res erat itaque agebatur. Sed praeferenda est Halmii coniectura magis ad codicis P scripturam accedens: an ea res erat illa, de qua. Neque habet vitiosum pronominum concursum, dummodo recte intellegas: „Oder war jene Angelegenheit, über welche verhandelt wurde, von der Art, dafs . . .“

III. 7. et eos, qui agebant, condemnare deberem? Optime Langius (p. 15) pro languido eos restituit: cos. (consules).

IV. 8. Primum dico senatoris esse boni semper in senatum venire, nec cum his sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in senatum † ipsi non venirent, non intelligentes.... Codex P habet a prima manu: ipsi non venirent, a secunda: venire ni. Ieepius coniecit: in senatum ipsis non venire licere. Sed Languis (p. 15) notionem, quae inest in verbo licere, non quadrare in sententiam eorum, qui in senatum venire noluissent, graviter demonstravit. Quod autem ipse proposuit: qui statuerunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire non intelligentes ob eam causam mihi non probatur, quod cur Cicero scripserit: ipsi non intellegitur. Ego ante

verba si non venirent nonnulla excidisse persuasum habeo; verisimillimum autem est Ciceronem bis scripsisse in senatum et librarium a priore ad alterum aberrasse. Quae verba sint supplenda, incertum est.

In extrema § 8 quid Cicero scripserit e codicibus restitui non potest. Langius, qui p. 16 de hoc loco disseruit, scribendum esse coniecit: cur cum ego me putarim tuto omnino in civitate esse non posse, illi non idem senserunt? Sententiam nullam aliam fuisse certum; verbis num iisdem usus sit Cicero, incertum; hoc quoque recte a Langio intellectum est Ciceronem tertiam interrogationem tamquam suam secundae Clodii interrogationi opposuisse. Halmius quoque tertiam interrogationem tamquam Ciceronis Clodianae interrogationi oppositam voluit. Nam in libro eius pro: timuerint, quod antea coniecerat (Cur, cum ego me putarim tuto omnino in civitate esse non posse, illi sibi nihil timuerint? Si aliis licet) scriptum inveni: timuerunt. Langio, qui particulam an (an eis licet) omni suspicione carere putavit, non assentior; nam prima manus cod. P omisit.

V. 10. an alio potius confugiendum fuit? Quae causa . . . Cod. P habet: fuit vis. Quae. M.: fuit. Vis quae. G V: fuit. Vis qua. In vetustioribus editionibus scriptum est: . . . confugiendum fuit? Quae vis, quae causa. Langius p. 17 non addendum quae, sed fuit in fuisse mutandum censuit (an alio potius confugiendum fuisse vis?) Sed iam ex fine duorum antecedentium membrorum (fuit, fuerunt) intellegi potest, hanc coniecturam parvam probabilitatis speciem habere. Malo vis tamquam interpretationem vocabuli causa delere.

V. 11. Frumentum provinciae frumentariae partim non habebant, partim in alias terras, credo propter varietatem venditorum, miserant, partim, quo gratius esset tum, cum in ipsa fame subvenissent, custodiis suis clausum continebant, ut subito novum mitterent. Madvigius p. 215 proposuit: partim in alias terras, credo propter caritatem venditores miserant, partim . . . . continebant. Non probabilis mihi videtur haec coniectura; nam si reciperetur, in primo enuntiato substantivum provinciae esset subiectum, in altero et tertio venditores; verba autem provinciae frumentariae ante partim collocata indicare mihi videntur tribus verbis habebant, miserant, continebant idem subiectum esse tribuendum. Neque inepte dicuntur provinciae frumenta suis custodiis continuisse; facillime orator, quae venditorum erant, in provincias transferre poterat. Pro: varietatem coniecit Graevius: avaritiam; Halmius (in exemplo

suo): aviditatem. Mihi varietatem quod h. l. idem est quod inconstantia („Laune, veränderliche Gesinnung"; cf. § 4; Verrin. V c. 50, 132: tametsi solent hi fortunam sibi obici nolle, qui se fortunae commiserunt, qui in eius periculis sunt ac varietate versati; ad Att. I, 17; ad fam. X, 18; pro Mil. c. 26; ad Q. fr. I, 1, 7; de orat. III, 3; Savelsium ad h. l.) retinendum esse videtur. Germanice sic explices: Die Verkäufer hatten nun einmal die Laune ihr Getreide anderswohin zu schicken.

V. 12. quae et illud nativum et hoc † delictum malum sanare posset. Madvigius l. l. t. I p. 18 proposuit: adiectum. Ieepius coniecit: a te fictum. At meliora docent duo Ciceronis loci, § 62: domus ardebat in Palatio non fortuito, sed oblato incendio; acad. II § 48: neque ut quidquam interesset inter intestinum et oblatum. Scribendum videtur: et hoc oblatum. (J. Müller.) Bene inter se contraria posita sunt: illud nativum et hoc oblatum. Facile autem syllaba ob post pronomen hoc neglegentia librarii excidere potuit.

V. 13. ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhaeresceret.

Offensioni erant viris doctis verba „in hanc tantam materiem". Quid Cicero scripserit, ex § 63. cognoscitur, ubi legimus: in me uno consulares faces iactae manibus tribuniciis adhaeserunt. Vera lectio est: ne in hanc tantam materiem seditionis iacta funesta fax adhaeresceret. Culpa librarii iacta in ista mutatum est. Sed fortasse ista tenendum et post fax inserendum est iacta. Langius (p. 17) scribendum censuit: ne in hac tanta materie seditionis ista funesta fax adhaeresceret?

VI. 15. Nonnulli autem illam rem ad illam rationem coniecturamque revocabant. Recte scripsit Gesnerus: ad aliam rationem. Occurrit autem permutatio vocabulorum alius et ille etiam in § 101, ubi pro: et qui aliud cum Spengelio scribendum est: et qui illud. Quod autem Langius (p. 18) proposuit: ad solam rationem et a codicum scriptura nimis recedit neque necessarium est. Nam ii quoque, qui deos immortales Ciceronis reditum comprobasse dicebant, ratione coniecturaque nitebantur; Ciceronem autem in his rationem et religionem deorum immortalium distinxisse ut credam equidem non adducor.

VII. 17. Itaque sive hunc di immortales fructum mei reditus populo Romano tribuunt, ut . . . . reducta videantur, sive egomet aliquid . . . . debui.

Langio (p. 19) in priore protasis membro praesens tribuunt vitiosum esse visum est non solum, quod in altero esset perfectum debui, sed etiam propterea, quod pridie Kal. Oct., quo tempore Cicero orationem de domo habuisset, fructum reditus Ciceronis tribuere dei diei non possent; itaque proposuit scribendum: tribuerunt. Sed si Cicero illo tempore, quo orationem de domo habuit, dicere potuit: reducta videantur (in eadem paragrapho), praesens tribuunt nihil habet offensionis. Praesenti autem tempore orator voluit indicare, populum Romanum ex reditu non per breve tempus fructum cepisse, sed etiamtunc, cum orationem de domo haberet, fructum ex reditu redundare.

VIII. 18. Negat oportuisse .... Cicero cum exposuerit, et causam fuisse novi consilii capiendi et suas partes in ea causa praecipuas, venit ad tertiam partem demonstraturus non alio confugiendum, sed Cn. Pompeium extra ordinem rei frumentariae praeficiendum fuisse. Atque ita disputat, ut rem maximam fuisse et summi periculi ab omnibus quidem concedi, sed esse dicat, qui negent quidquam uni extra ordinem decerni oportuisse. Itaque scribendum videtur: negant oportuisse (Halmius). Lahmeyer in Philologi vol. XXII p. 699 proposuit: negatis.

VIII. 20. Cum in eius regnum, bona, fortunas, latrocinium huius imperii immisisses.

Latrocinii vocabulum, quod contra codicum auctoritatem a Wolfio, Baitero, Kaysero in textum est receptum, non potuisse hoc loco a Cicerone usurpari Langius p. 4 iudicavit; ipsam P. Clodii rogationem vituperari potuisse a Cicerone quam vehementissime; sed si latrocinii notionem cum imperio populi Romani coniunxisset, verendum ei fuisse, ne maiestatem populi Romani laesisse videretur. At Cicero neque rempublicam neque civitatem neque senatum, cum ipse in exilio erat, fuisse saepe dicit. Eum id sensisse ex paradoxis (IV, c. I) maxime intellegitur: Non igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil valebant, cum iudicia iacebant, cum mos patrius occiderat, cum ferro pulsis magistratibus † senatus nomen in republica non erat. Praedonum ille concursus et te duce latrocinium in foro constitutum et reliquiae coniurationis a Catilinae furiis ad tuum scelus furoremque conversae non civitas erat et seqq. Cf. praeterea de prov. cons. 19, in Pis. 4, 5, 9. Itaque Cicero neque in populum neque in senatum, ut Wolfius putavit, invehitur, sed in latrocinium a Clodio constitutum. At certe in Catonem, dixerit aliquis. Minime. Nam regno iam publicato et latrocinio iam in Ptolemaeum immisso de Catone lata

lex est, quamobrem nihil convicii residet in eo. At nonne vir sanctissimus paruit? Sane. Sed si non paruisset, tamen illa in republica macula regni publicati haesisset eique vis esset allata; v. Sest. c. XXIX; intellexit autem Cato utilius esse, bonum, quod ex regno publicato in rempublicam pervenire posset, a se homine integro ac diligenti quam ab aliis, quibus publica utilitas minori curae esset, conservari. V. Halmium ad Sest. c. XXIX § 63. Langio, qui ad tuendam codicum lectionem: patrocinium huius imperii .... immisisses oxymori figura Ciceronem usum esse statuit, an homines docti assentiantur, valde dubito. Si quid vitii in his verbis inest, id in huius vocabulo latere arbitror. De verbo immittendi v. Kritz ad Sallustii Catil. c. 48 p. 225 et Garat. ad Milon. c. 28 p. 278 ed. Or.

IX. 21. Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam qui in ipso Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras, quem tuis Sergiis, Lolliis, Titiis ceterisque caedis et incendiorum ducibus obieceras, quem carnificem civium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuisse dixeras: ad hunc honorem et imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detulisti et tanta fuisti intemperantia, ut illius tui sceleris rationem occultare non posses.

Naegelsbachius, ut in his verbis esset recta sententia, sic interpungi voluit: Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam? qui. Quamquam particulam atque non respondere interrogationi vehementer commotae nego (cf. Verr. I. 118: Ac per deos immortales! quid est, quod de hoc dici possit?) tamen propter vocabulum solum, quo neque poscitur, Halmii coniectura praeferenda videtur, qui proposuit: Neque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam, qui.

In verbis, quae statim sequuntur, quem tu non pro illius dignitate produxeras habet cod. P: quem tu in eo non; ante vocabula: in eo erasa est una litera et literae „i“ et „o“ a correctore sunt scriptae. Inde intellegitur, veram lectionem non esse: quem tu non pro, sed id quod Halmius restituit: quem tu in eo negotio. Praeterea recte vidit Ernestius post vocabula: qui in ipso Catone, quem .... subduxeras esse vitium orationis. Neque enim quidquam esse, quod responderet verbis: qui in ipso Catone. Aut excidisse aliquid, ut inconstans fuisti, vel simile quid, aut qui delendum esse. Ego existimo statuendum esse Ciceronem aut per anacoluthi formam dixisse aut

aliquid excidisse. Sed cum in Ciceronis orationibus illa anacoluthi forma raro inveniatur, supplementum est necessarium. Atque Naegelsbachius quidem proposuit: inconstans fuisti; nam; cui ego ita assentior, ut scribam: inconstans fueris; nam. Langius (p. 11) Naegelsbachium in lacuna explenda a vera Ciceronis sententia aberrasse censuit; non inconstantiam iterum commemorandam fuisse, sed impudentiam, quam antea quoque (VIII, 20) Cicero exprobrasset. Minime. Non erat, cur Cicero denuo in impudentiam Clodii inveheretur. Sed h. l. orator exponit, duabus in rebus Clodium inconstantem fuisse, cum et ipse imperium Ptolemaei regis publicandi causa extra ordinem deferret et Catonem, cum antea ei magna convicia fecisset, huic negotio praeficeret. Hoc Ciceronem sensisse, ex verbis: Neque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam intellegitur; in quibus vocabulum solum non ad inconstantiam referri potest, sed cum pronomine hoc coniungendum est. Itaque haec est sententia: Neque in hoc solum sc. in eo quod tu, quamquam negas esse verum quemquam ulli rei publicae extra ordinem praefici, tamen extra ordinem imperium detulisti, inconstantiam redarguo tuam, sed etiam in eo quod tu hoc imperium ad Catonem, quamquam antea eum conviciis incessiveras, detulisti.

IX. 22. dein gratulari tibi, quod M. Catonem a tribunatu tuo removisses et quod eidem in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses.

Codices habent: idem in posterum. Ursinus et Gulielmius adiecta una litera idem in eidem mutaverunt. Madvigius in advers. crit. t. II. p. 216 proposuit: quod dicendi in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisset. Langius quoque (p. 13) omissum genetivum querendi vel dicendi, sed eum ante vocabulum libertatem inserendum credidit. Mihi Madvigius recte quidem dicendi pro corrupta scriptura idem substituisse, sed locum non plane sanasse videtur. Scribere debuit: quod ei dicendi in posterum ... (Halmius).

IX. 23. quis bellum cum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam ex sui Caesaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit?

Codices habent: quis bellum pacatissimis gentibus. Wesenbergius ad Cic. Tusc. disp. part. III p. 25 proposuit: bellum cum pacatissimis gentibus. Ante hunc iam Gesnerus librarii errore praepositionem cum excidere potuisse putaverat; sed maluit existimare, e Ciceronis ratione esse, nomini bellum adiungere casum verbi bellandi velut in eis,

quae sunt obtemperatio legibus, traditio alteri, eruptio Mutina, reditus Brundisio. Contra hunc Wolfius demonstravit, illa exempla ad hunc locum non pertinere neque in soluta oratione verbum bellandi aut pugnandi cum dativo construi. Mihi neque Gesneri explicatio neque Wesenbergii coniectura recta videtur, sed cum Savelsio sic interpretor: quis bellum homini dedit, cum gentes pacatissimae essent. cf. de orat. II, 1; II, 23; III, 31; in Verr. II, 3 c. 52.

Deinde codd. habent: ex vi Caesaris rebus actis. In his nulla est sententia. Madvigius h. l. coniectura palmaria sanavit, cum scriberet: ereptam ex visceribus aerarii. Savelsius[1]) iam verae scripturae appropinquaverat; nam recte suspicatus erat, illud ex vi, quod codd. haberent, ortum esse ex: ex visceribus; sed mirum in modum locum ex Pis. c. 12 interpolatum esse putavit.

X. 25. civitatemque fractam malis, mutam ac debilitatam, abiectam metu ad aliquam spem libertatis et pristinae dignitatis erexit. Codices habent: mutatam. Locus mihi correctus videtur cura F. W. Schmidtii, qui in annal. philol. (1874, p. 741) ex Phil. XII, 3, 7 et ad fam. XV, 15, 1 proposuit: imminutam. Langius (p. 8) mutatam ac debilitatam tamquam interpretamenta participiorum fractam et abiectam e textu tollere voluit; nam cum Cicero civitatem fractam malis, abiectam metu dixisset, eum, si tertium aliquod addere voluisset, participio cum substantivi ablativo coniuncto usurum fuisse. Sed neque illa varietas constructionis iniucunda est neque vocabula mutatam ac debilitatam interpretamenta participiorum fractam et abiectam existimari possunt.

X. 27. Qua quidem in sententia si Cn. Pompeii dignitas aucta est coniuncta cum utilitate communi, certe laudandus essem .... Nulla inest in h. l. sententia. Scribendum est: Qua quidem sententia si Cn. Pompeii dignitas aucta esset non con-

---

[1]) in comment. p. 18: „Ex aliquot codd. scriptura aliquis legendum esse coniiciat: ereptam ex visceribus reip., nisi tum abundarent verba: ad emendos agros constitutam. Nam illa simillimo loco exstant, in Pis. c. 12."

in disput. p. 32: „Verba ereptam vi ex Caesaris rebus actis non solum perturbant sententiae concinnitatem, sed incertam etiam significationem et sensum obscurum habent. Quapropter uncis ea inclusimus; atque hoc eo magis, quod fontem interpolationis repperisse nobis videamur, in Pis. c. 12. Quae primum in margine adscripta, deinde corrupta et mutilata in textum recepta esse suspicamur. Nam plurimi codices pro vi ex Caes. habent: ex vi Caesaris rebus i. e. ex visceribus."

iuncta cum utilitate communi, certe laudandus essem .... (Halmius). Illud in iam Wolfius deleri voluit; id ex vocabulo quidem antecedente ortum esse manifestum est.

XI. 27. Quod enim par amicitiae consularis fuit umquam in hac civitate coniunctius quam fuimus inter nos, ego et Cn. Pompeius?

Cum forma loquendi par amicitiae consularis insolentior sit, scribo cum Savelsio: quod enim par amicitia consulari fuit unquam in hac civitate coniunctius.

XI. 29. Qui, cum me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multo ante suscepti et provisi labores cum viro fortissimo et clarissimo coniunxissent, sim passus a tali amicitia distrahi.

Non dubito, quin Langius (p. 13) recte intellexerit, post sim pronomen me esse inserendum, quod eo loco aeque fere facile omitti poterat atque paulo antea (XI, 28) in codicibus G M V ante metueret.

XI. 29. neque intellexerim, quibus aut ut apertis inimicis obsisterem aut ut insidiosis amicis non crederem.

Langius (p. 21) censet pro: insidiosis amicis fortasse scribendum esse: invidiosis amicis. Attulit: ad Q. fr. 1, 4, 2; ep. fam. 14, 11; 7, 2, 3; ad Att. 3, 15, 2 (etiam plures locos afferre potuit), ubi aut adiectivum invidus (non: invidiosus, quod Langius voluit) aut verbum invidendi legitur. „Quod autem Cicero" inquit Langius, „ad Q. fr. 1, 3, 8 scribit Hortensium se summa simulatione amoris summaque assiduitate quotidiana sceleratissime insidiosissimeque tractavisse, et quod ad Att. 3, 9, 2 ad verba Attici: „nunc Hortensium allice et eiusmodi viros" respondet: obsecro, mi Pomponi, nondum perspicis, quorum opera, quorum insidiis, quorum scelere perierimus? inde non sequitur Ciceronem tam incautum fuisse, ut coram pontificibus Hortensium insidias sibi struxisse significaret". Haec Langius. Ut omittam Ciceronem, etiamsi invidiosis scripsisset, non multo cautiorem futurum fuisse, quam non amicis, per quos tanta illa calamitate affectum se esse credebat, ne in orationibus quidem pepercerit, satis constat. cf. p. red. ad Quir. c. IX (alterum, qui per simulationem amicitiae nefarie prodiderunt), p. red. in sen. c. IX, p. Sest. c. XX. Sed Ciceronem non scripsisse invidiosis gravi argumento demonstrari potest. Nam p. red. ad Quir. IX. homines, a quibus violatus erat, in quattuor genera dividit; de his quattuor generibus alterum

est eorum, qui per simulationem amicitiae nefarie eum prodiderant; ab his discernit eos, qui, cum propter inertiam eadem assequi non possent, inviderant laudi et dignitati eius. Deinde: Sic ulciscar, inquit, facinora eorum singula, quem ad modum a quibusque sum provocatus: malos cives rempublicam bene gerendo, perfidos amicos nihil **credendo** atque omnia cavendo, invidos virtuti et gloriae serviendo. Sequitur, ut ii, quos non credendo ulcisci animum induxerat, non essent invidi amici, sed perfidi, qui eum prodiderant. Cum autem de dom. § 29 scriptum sit: aut ut — amicis non crederem, dubium non est, quin hoc loco non invidos, sed eos, qui eum prodiderant, significaverit. In hos autem adiectivum insidiosus apte quadrat.

XII. 31. idemque *** dixisset. In P cum post idemque supra versum vetere manu scriptum est atque nonnulla videntur excidisse. Quae sententia sit supplenda, ex Sest. § 129 intellegitur; nam ibi de hoc senatu dicitur: cum vir is, qui tripertitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit, de scripto sententia dicta mihi uni testimonium patriae conservatae dedit.

XII. 32. quam aut opinio tulerit.

Recipienda est Graevii coniectura: tulerat. Non curanda est h. l. codicis Parisini auctoritas, in quo extremas syllabas saepe mutilatas esse constat. v. Paul, studia Ciceroniana (Berolini 1875) p. 1 (multis locis verborum partes extremae labem contraxerunt) et Madvig, opusc. acad. II, 20.

XIII. 34. Codd. optimorum scripturam Videsne me non radicitus evellere omnes actiones tuas neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse iure in editione Turicensi altera repudiatam revocavit Madvigius in adv. crit. v. II p. 217.

XIV. 36. primum, quod eae vestrae sint aetates. Sint Ciceronis non esse ex solet, quod statim sequitur, perspicuum est. Scribendum est secundum codd. G M: sunt aetates (Halmius).

XIV. 37. Quae maior calumnia est quam venire imberbum adolescentulum. Wolfius scripturam imberbum (pro imberbem) a Lambino temere receptam esse dixit. Sed codd. optimi habent: imberbum, ut Charisii (I, 18, 6) testimonium dicentis Ciceronem scripsisse imberbum hoc quoque loco confirmetur. Vide Nonium sub imberbi; Bentleium ad Hor. epist. II, 1, 85; L. Müller ad eundem locum. Vide Fr. Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache II. p. 88 et 89.

XV. 39. Infirma sunt igitur tua sententia acta C. Caesaris, viri fortissimi?

Cum in cod. Par. scriptum sit: Infirma sunt igitur tua acta C. Caesaris omisso quod vulgo legitur sententia veram Ciceronis scripturam restituit Madvigius l. l. p. 217, scribens: Infirmas igitur tu acta C. Caesaris. De simili usu verbi infirmandi cf. § 42: eas actiones non infirmare et p. Sest. 40: quod acta illa atque omnes res .... infirmari a senatu ... putabant.

XV. 40. Videte hominis amentiam, ** per suum tribunatum Caesaris actis illigatus teneretur.

Quid Cicero scripserit, incertum est; eum non scripsisse, quod antea legebatur ubi per suum tribunatum Caesaris actis illigatus teneretur certum est; nam in hac scriptura coniunctivus imperfecti vim non habet. Maxime mihi arridet Halmii coniectura: „quasi non ipse per suum tribunatum", cum ea coniunctivus explicetur.

XVI. 42. quibus illi actionibus constitutum tribunatum comprobaverunt.

Antea legebatur: tribunatum tuum comprobaverunt, et id quidem recte. Nam quamquam in codd. deest pronomen: tuum, tamen, cum in § 38: totum tribunatum tuum, § 40: tuo praecipitante et debilitato tribunatu et per suum tribunatum, § 41: augures totum evertunt tribunatum tuum scriptum sit, hoc loco tuum excidisse videtur.

XVI. 43. Fueris sane tribunus pl. † tam in iure quam lege, quam fuit hic ipse Villius, vir omnibus rebus clarissimus atque amplissimus.

Codd. P V scripturam: tam in iure quam lege non integram esse iam ex eo intellegitur, quod praepositio, quae ante iure est, ad lege posita non est; deinde nullo modo particula tam et ad quam lege et ad fuit referri potest. Car. Stephanus (tam iure legeque), Lambinus (tam iure, tam lege), Halmius (antea: tam iure atque etiam lege; nunc: tam iure atque lege) omnes sententiam Ciceronis recte restituisse mihi videntur; sed Halmii coniectura ad codd. scripturam maxime accedit. Kochius (mus. Rh. vol. 13. p. 284): fueris sane tribunus pl., tam fueris inquam lege, quam fuit hic ipse Villius) et Langius (p. 14: fueris sane tribunus pl. optimo iure, tam fueris inquam lege, quam fuit hic ipse Villius) a vestigiis codicum adeo discesserunt, ut in coniecturis eorum parva sit probabilitas.

Deinde in cod. P prima manu ullius, secunda manu et in cod. G rullius scriptum est; itaque vulgo edebatur Rullus. Quis fuerit hic Rullus, de hoc interpretes inter se differunt. Ferratius quidem P. Servilium Rullum, qui tribunus plebis Cicerone consule legem agrariam tulisset, esse putavit. Sed haec opinio nullo modo probanda est; neque enim Cicero istum hominem virum omnibus rebus clarissimum atque amplissimum dixisset. Manutius autem existimavit, esse unum ex pontificibus P. Servilium Rullum, qui in cap. VI. de har. resp. nominaretur: „Quae tanta religio est, qua non in nostris dubitationibus atque in maximis superstitionibus unius P. Servili ac M. Luculli responso ac verbo liberemur?“ et „At vero meam domum P. Lentulus, consul et pontifex, P. Servilius, M. Lucullus cet.“ Hic P. Servilius Isauricus[1]) etiam in c. LII. huius orationis commemoratur. An tu auderes quaerere ex P. Servilio aut ex M. Lucullo, quorum ego consilio atque auctoritate rempublicam consul ex vestris manibus ac faucibus eripui cet. et ades Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis cet. In lib. I. cap. XX or. in Verr. vir clarissimus et amplissimus dicitur („P. Servilius, vir clarissimus, maximis rebus gestis adest; cognoscito ex litteris publicis hominis amplissimi diligentiam“) et hominis abstinentia laudatur. Quod Ferratius contra Manutii sententiam protulit, nullius momenti est; quamquam hoc concedendum est, de P. Servili tribunatu nihil constare. Cum autem in cap. LII or. de domo et in c. VI orat. de har. resp. Cicero scripserit non Rullus, sed P. Servilius manifestum est, hoc loco veram esse scripturam P. Servilius. Hanc emendationem legi in margine libri, quem Halmius mihi mense Sept. anni **1879** dedit. Langius (p. 22) idem coniecit. Sed non eo modo, quo L. putavit, nomen in rullus corrumpi potuit; neque enim scribendum erat librario: ipseservilius, sed: ipsepservilius.

XVII. 43. vetant XII tabulae leges privatis hominibus irrogari.

Quod in editione Orelliana priore (et aliis) legebatur: privis hominibus, Klotzius in editione (Lipsiae **1872**) retinuit; sed recte secundum codd. scriptum est: privatis hominibus. V. A. du Mesnil ad Cic. de legg. III, **19**, **44**.

---

[1]) Cf. Drumann, III, 133, 166; IV, 396, 397.

XVII. 44. Quaero enim, quid sit aliud proscribere: Velitis cet. Sic codices. Halmius suspicatus est ac particulam ante verbum proscribendi excidisse. Langius (p. 10) melius esse putavit prorsus delere vocabulum proscribendi inepte ex antecedentibus repetitum. Sed Halmii coniectura magnam commendationem habet ex cap. XX: quid? nominis inscriptio tibi num aliud videtur esse ac meorum bonorum direptio?

XVII. 45. nam cum tam moderata iudicia populi sint a maioribus constituta, primum ut ne .... deinde ne ..... tum multa etiam ad placandum atque misericordiam reis concessa sint, deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute, denique etiam si qua res illum diem aut auspiciis aut excusatione sustulit, tota causa iudiciumque sublatum sit. ....

Langio (p. 24) tum adverbium suspectum videbatur. „Nisi igitur", inquit, „Ciceronem anacoluthum commisisse statuere volumus, tum corrigendum erit in: cum". Sed h. l. anacoluthum ferre malo quam codd. scripturam mutare. In enumerationibus enim et maioribus periodis istiusmodi pravitates constructionis fieri solent. „Cicero interdum in talia incidit" (Madvig de fin. p. 162).

In eadem § Langius (p. 14) cum eum iudicet post multam irroget offenderet, Ciceronem quam multam irroget aut capitis iudicet scripsisse coniecit. Haec coniectura non est necessaria; iudicet idem est atque sententiam in re capitali ferat. In extrema § scribendum esse sustulerit (Halmius) probabile est.

XVII. 45. haec cum ita sit in re, ubi crimen est ... Madvigius p. 217 coniecit: ita sint in reo, ubi.

Dici, inquit, debebat saltem: in ea re, ubi crimen sit. Sed facilius mihi ferendum videtur: in re, ubi crimen est quam: haec cum ita sint in reo; deinde ubi positum esse pro in quo statuendum est, velut in is unde petitur illud unde habemus pro: a quo. Equidem autem nolim Ciceroni tribuere reum, in quo accusator, in quo testes sunt. Denique sententia qui neque adesse sit iussus neque ... accusatus opponitur illi: ubi crimen est, ubi accusator, ubi testes. In extrema § Madvigius recte scripsit: putari.

XVIII. 46. ut eas nimium multi, egentes, sumptuosi, nobiles concupiscant.

Langius (p. 10) censet aut nobiles tamquam ineptum glossema delendum aut scribendum esse: nobiles ignobiles; nam offendere post

egentes, sumptuosi, quibus verbis indicetur, quales sint nimium multi illi, quos concupiscere equitum Romanorum pecunias Cicero dicat, vocabulum nobiles. Ego existimabam antea, nobiles voc. hoc loco in malam partem adhibitum idem fere esse atque sumptuosi eoque significari illos, qui effuso sumptu nobiles imitari studerent („vornehm thuend" cf. Ter. Heaut. 2, 1, 15: mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis). Sed cum Cicero ipse esset nobilum, fieri non poterat, ut nobilis voc. in malam partem adhiberet; itaque vocabula sumptuosi et nobiles inter se coniungenda et nimium multi ad egentes voc. solum referenda esse videntur.

XIX. 50. De hac igitur lege dicimus, quae iure rogata videatur. Madvigius p. 217 emendavit h. l., cum scriberet: quasi iure rogata videatur.

XIX. 50. si etiam pluribus de rebus uno sortitu rettulisti.

Vulgatam lectionem denuo suspectam fecit Madvigius l. l. II. p. 218, cum proponeret: uno sortitore tulisti. Ego quoque hoc loco rettulisti esse ferendum nego, quod omnibus locis deinceps sequentibus (§ 51 tulisti de me; quod de me ipso nominatim tulisti; § 52 quam quod idem tu lege una tulisti; § 53 quid? si per vim tulisti) scriptum est: tulisti. Itaque syllaba re proximo vocabulo oportet reddatur; sed non eo modo, ut cum Madvigio uno sortitore legendum esse iudicem, sed illud uno sortitu in una sortitione mutandum esse videatur. (Halmius.) Nam nusquam apud Ciceronem vocabulum sortitoris invenias. At cf. or. Phil. II c. XXXIII: sortitio praerogativae.

Quod M. Drusus in legibus suis plerisque † in bonis ille vir M. Scauro et L. Crasso consularis non obtinuerit.

Veram lectionem restituisse mihi videtur Klotzius, qui scripsit: quod M. Drusus in legibus suis plerisque, nobilissimus ille vir, M. Scauro cet. cf. or. pro Milone c. 7 § 16 et infra c. 46. § 120; illud autem consularis, quod nullo modo ferri potest, Madvigius l. l. p. 218 mutavit in consiliariis, quae mutatio cum aliis ex causis, tum eo, quod statim vocabulum auctoribus sequitur, valde est probanda.

Porro pro: hominem facinorum et stuprorum omnium fortasse scribendum est: magistrum facinorum et stuprorum omnium. (Halmius.) cf. Philipp. c. 12, 17: socios facinorum et ministros.

XX. 52. cum Romae † decessisset. Cod. Par. Romae ferri non potest; sanatus est h. locus Garatonii emendatione: Romam. cf. in

Verr. act. lib. III. XLI: inviti enim Romam raroque decedunt; lib. II c. XXVII: Romam decedere mecum cupiverunt.

XXI. 54. Non temere id mihi Wolfius dicere videtur, praestare deleri signa interrogationis post verbum parabas et reliqua.

XXI. 55. Tibi suos speratos centuriones. Quid haec verba sibi velint, me non intellegere fateor. Fortasse legendum est: servos concitatos aut operas conductas.

XXII. 56. Sic interpungendum est: quid? illa tot virorum fortissimorum milia, quid? nostri equites Romani, quid? senatus, quid? denique omnes boni, si nulla erat vis, cur me flentes.

XXII. 57. Vera mihi videtur Garatonii scriptura: Iudicium? in causa tam turpi scilicet: an is homo, qui eam, si iam esset ignota, dicendo non possem explicare? In Madvigii autem coniectura, qua hanc fuisse putat orationis formam: Iudicium? in causa tam turpi scilicet; is scilicet homo, qui . . . alterum illud scilicet ferri non posse iudico. In verbis, quae deinceps sequuntur, sic interpungendum est: An quia causam probare non poteram? cuius tanta bonitas est, ut ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem per se probarit. (H.) In proximis verbis Madvigius, cum verbis se probare et per se probare Cicero ludere videretur, absentem in absente mutavit. At cum iam pronomine ipsa expressum sit, causae defensore opus non fuisse, haec vis in verbis per se nullo modo inesse potest. Sententia haec est: causa ipsa non modo se sine defensore, sed etiam Ciceronem absentem, qua erat bonitate, probavit.

XXII. 57. An senatus, an ordines, an ii.

Recte Garatonius suspicatus est omnes excidisse post ordines cf. § 132: ordines omnes.

XXII. 58. Madvigius p. 219 haec coniecit: At vero in iudicio periculi nihil erat: privilegium, pertimui, ne, mihi praesenti si irrogaretur. Non agebatur, inquit, de multa, sed de capite. Sed Cicero pro Mil. XIV, ubi de eadem re agitur, scripsit: Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat. Deinde an M. suspecta fuit. Sed nihil mutandum est; eandem orationis formam habes in § 79.

XXIII. 60. Sed quid ego vestram crudelitatem expromo. Ernestius, Wolfius, Madvigius apud Ciceronem expromere nunquam simpliciter pro eo, quod sit commemoro, poni dicunt; sed verbum expromendi h. l. non minus recte est positum quam de divin. lib. II. c. 72, de legg. II. c. 7, ad Q. fr. I 9, 28, fam. V 12, 1, Att. II 12, 2; pro Mil. § 33, div. in Caec. § 39.

XXIV. 62. Senatum consules vocabant. Nuper Madvigius l. l. p. 219 cum latere in illis verbis rei alicuius ad transportationis illius imaginem pertinentis significationem putaret, scripsit: Sarracca convolabant. Sed si quis cum h. l. contulerit verba statim sequentia: consules epulabantur et Sest. § 54: omitto gratulationes, epulas... et Pis. § 22: quid ego illorum dierum epulas, quid laetitiam et gratulationem tuam ... reperiet, Ciceronem scripsisse: Cenatum consules vocabant. (Halmius.)

XXIV. 64. Ego pro salute universae rei publicae dubitarem ** hoc meliore condicione esse quam Decii.

Madvigius p. 220 et verba inicere me in medios hostes supplenda esse et pro esse scribendum essem proposuit. Sed iam primum Wolfius ad h. l. monuit, non illa verba supplenda esse, sed aliquid simile; neque enim Cicero se in hostes iniecisset, sed acerbitatem exilii pertulisset. Deinde rhetorica loci forma poscere mihi videtur post dubitarem infinitivum. Credo manifestum esse post dubitarem aliquot verba excidisse; lacuna autem his fere verbis explenda est: dubitarem me devovere (cf. § 145: atque meum caput ea condicione devovi) qui hoc meliore condicione essem (H).

XXV. 67. Cn. Pompeium foro curiaque privarit domumque coniecerit, vidistis. Coniecerit prima manu P omissum est; P2 et G habent coniecerit. Quamquam hoc ita se habet, tamen collatis locis de harusp. resp. § 58, p. Milone § 78, in Pis. § 16, quod Halmius suspicatus est, compulerit veram esse scripturam mihi persuasum est.

XXVI. 68. Dissensione, quod ferri non potest, Madvigius p. 221 mutavit in descriptione collata § 129: servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio.

XXVI. 69. Non vidistis, illam legem esse nullam cum Lambino scribendum est. (H) cf. infra: nam legem quidem istam nullam esse.

XXVI. 69. Sed ne quis ororetur P habet. Halmii oreretur recipiendum est; nam illud **o** non ex **i**, sed ex **e** ortum est.

XXVI. 69, 70. Wolfius male vinctam esse orationem dixit; et hoc quidem recte, sed non scriptoris, sed editorum culpa illud factum est. Halmius sic interpunxit: Nam legem quidem istam nullam esse, quotienscunque de me senatus sententiam dixit, totiens iudicavit: quoniam quidem scripto illo istius sententiam dicere vetabatur, atque hanc rem par illud, Piso et Gabinius, vidit, homines . . .

XXVII. 71. sed me ita esse in republica, magis ut arcessitus imperio populi Romani viderer quam ad administrandam civitatem restitutus.

Wolfius non aliud remedium vidit his ineptiis nisi magnum illud et efficax, lituram. Sed maius et melius vidit Madvigius, qui l. l. I. p. 51 scripsit particula quam in suam sedem retracta: magis ut arcessitus imperio p. R. viderer ad administrandam civitatem quam restitutus.

XXVII. 72. ipsum per se nomen. Halmii coniecturam recipiendam censeo: ipsum per se est nomen.

XXVIII. 75. Recipienda est Faerni coniectura: cum te, P. Lentule, legem de me ferente populus Romanus ipse se vidit . . . (H.) Deinceps scribendum est: omitto . . . de meis in omnis mortales meritis.

XXVIII. 76. ut tua . . vis non modo non propulsanda, sed etiam † emendanda fuisse videatur. Mommsenius emendanda in invitanda mutavit. At non minus ad codd. scripturam accedit Halmii coniectura: excitanda.

XXIX. 76. quod omnes † negent immortalitati.

Madvigius p. 221 scripsit eiecto negent: quod omnes immortalitati, si fieri potest . . ., cum ad omnes verbum ex putasti sumendum esse diceret. Sed hanc structuram difficilem in hanc orationem inferre iniquum est. Nam quid ex putasti sumendum est? Utrum putaverunt an putant an putabunt? Locum mihi sanasse videtur Halmius, cum proponeret: quod omnes concedent immortalitati.

XXIX. 78. Bene Madvigius p. 221 scripsit: referri: „Neque enim significat, quid maiores ipsi facere cupierint, sed quid fieri posse voluerint".

XXX. 80. Recipienda est Ant. Augustini scriptura: qui in aes eius nomen incideris? (H.) Reminiscebatur homo doctus, praerogativae auctorem in aes incidi ante legem solere.

Quod facile potuit qui propter inopiam tecti in foro pernoctasset. qui deest in codd.; P_1 G habent: pernoctasset, M: pernoctasse. Perspicuum est, ante propter particulam excidisse; Klotzius igitur recte quum scripsisse videtur.

XXX. 80. Nec res iudicata. Codd. habent: res tum iudicata. Madvigius p. 221 scripsit: rerum iudicatarum auctoritas. Sed neque de rebus iudicatis neque de auctoritate agitur, sed de una re iudicata. Itaque mihi vera esse videtur Halmii coniectura, qui illud tum ante iudicata mutavit in iam.

XXX. 81. Madvigius p. 222 poposcit pro per gratiam: pergratam, nam latine dici: gratiae alicuius causa aut (inde a Livio) in gratiam alicuius, sed virum egregium fugit per gratiam latine dici. cf. Cic. Verrin. act. I. c. 16, 48: ut nemo a vobis, ut istum absolvatis, per gratiam conetur contendere; et act. II. lib. III. c. 83, 191: cum iis, credo, qui benignitate adducti, per beneficium et gratiam civitatibus concesserunt, ut nummos pro frumento darent? cf. Plaut. mil. 979; Dräger, h. S. p. 563.

XXXI. 82. Pro: si ne scriptum quidem umquam est desiderabis: si ne scriptum quidem usquam est, cum in § 82 contuleris verba: ubi enim tuleras? id quod Guilielmus suspicatus est.

XXXI. 83. Quaere hoc e Sex. Clodio. Veram lectionem habet P: Quaere haec . . .

XXXI. 83. Quae ne in ipsa quidem rogatione praescripta est. Non vereor cum Graevio contra cod. P auctoritatem scribere: proscripta, quod vocabulum idem valet ac publice scriptum proponere. Vide Ernestii clavem.

XXXII. 86. Prima manus P et reliqui codd. habent: restitutio. Sed hoc et contra formam rhetoricam et contra sententiam esse Madvigius p. 222 demonstravit. Scribendum est: restituto.

XXXII. 87. Madvigius I. p. 58 suspicatus est Ciceronem scripsisse: ad sempiterni memoriam temporis pro: ad sempiternam memoriam temporis; nam laudem neque ad memoriam temporis (incerti et infiniti) propagari neque ad sempiternam memoriam temporis, sed ad omnis aut longi temporis memoriam. Sed nihil mutandum est; nam vocabulum tempus, quo facile careremus, tam arte cum vocabulo memoriam coniungendum est, ut una notio fiat (= zum ewigen Zeitgedächtnis).

XXXIII. 87. altero praetore † petente. Petente nullo modo ferri potest; nam ex Sest. c. 40 et Pis. c. 15 intellegitur Appium Pulchrum, fratrem Publii, a nullo petivisse, ut Cicero reduceretur. Manutii coniectura patiente ad P scripturam et sententiam, quam desideramus, maxime accedit.

XXXIII. 88. quid est, quare quisquam mihi se ipsa populari ratione anteponat. Cum Ernestio scribendum est: in ipsa populari ratione; nam supra (§ 87) scriptum est: in optima ratione.

XXXIII. 90. cum omnes principes civitatis, omnes ordinum . . . . Probabiliter Halmius pro omnes ordinum proposuit: omnes homines ordinum; nam substantivo opus est, ne principes ad alterum membrum referatur. cf. in Cat. IV, 7: omnes adsunt omnium or-

dinum homines, omnium denique aetatum. Ernestius suspicatus erat; homines pro eo quod codices exhibent, omnes scribendum esse.

XXXIII. 90. Pro venerunt cum Ernestio scribendum est: venerant; neque enim Cicero scripsisset censebant, quod antecedit, si dixisset: venerunt.

XXXIV. 91. Hoc ego populo, si tum consules aut fuissent in republica aut omnino non fuissent, nullo labore tuo praecipiti furori restitissem. Madvigius hanc scripturam prorsus ridiculam et sensu cassam esse l. l. p. 222 dixit; neque enim Ciceronem negare, consules tum fuisse in republica, quoniam ipse priori membro contrarium poneret: si omnino non fuissent. Sed apparet, Cic. hoc loco vocabulo consules ludere; nam cum in altero membro consules vulgari significatione usurpatum sit, in priore membro etymologiam, quae quidem Romanis nota fuerit,[1]) vocabuli consules spectat eique hanc vim subicit, qua eos significat, qui civibus consulere debent; illos consules autem patriae non consuluisse neque custodes aut conservatores reipublicae fuisse, sed latrones, praedones, hostes, proditores, tyrannos (in Pis. c. X); in parad. IV quoque Cicero negat, tum in republica fuisse consules, cum dicat: Itaque pulsus ego civitate non sum, quae nulla erat: accersitus in civitatem sum, cum esset in republica consul, qui tum nullus fuerat cet; cf. in Pis. c. X, XI, XII; in Vat. c. VII, scholion ad Sest. c. VII. Itaque nihil est mutandum.

Quod autem Madvigius existimavit, scribendum esse: si tum consules aut fuissent e republica aut omnino non fuissent, valde dubito, an hoc dici possit; nam substantivum aut pronomen deest, quo verba e republica nitantur. cf. A. du Mesnil ad Cic. de legg. II § 66; I § 1, III § 14; Fam. IX 21, 3; Phil. 8, 13.

XXXIV. 91. Sed publicam causam contra vim armatam sine populi praesidio suscipere nolui: Manifestum est haec verba antecedentibus (hoc ego populo — restitissem) repugnare neque ulla

---

[1]) cf. de orat. II 39, 165: si consul est, qui consulit patriae; de legg. III 3, 8: regio imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo praetores, iudices, consules appellamini.

Varro de vita p. R. (apud Nonium v. consulum p. 23 Merc.): quod idem dicebantur consules et praetores, quod praeirent populo, praetores, quod consulerent senatui consules. Cf. Orelli ad Horatii carm. II, 1, 14. Haec Romanis visa sunt; at nunc in confesso est, „consules“ ex orchestica arte esse repetitum. V. Mommsen röm. Staatsrecht; II, 1, p. 74.

explicatione repugnantiam tolli posse. Rectam viam iniit Garatonius, qui collatis locis Pis. c. 31, Sest. c. 19 scripsit: publico praesidio suscipere nolui i. e. sine consulum praesidio.

XXXIV. 91. Non quo mihi P. Scipionis, fortissimi viri. Sic habent codd. Probabiliter contendit Wolfius hic legendum esse: non quod. cf. Seyfferti pal. Cic. ed. VI. p. 87: non quo und non quod sind keineswegs identisch; jenes heifst: nicht in der Absicht, nicht als sollte das herauskommen, dafs; dieses: nicht in Rücksicht darauf, dafs, nicht weil, stellt also ein wirkliches Factum unter die Ansicht des Subjektes. Deinde legitur: vis * * privati hominis displiceret. Cod. Par. prima manus praebet: vis inti privati.. Optimam medicinam Baiterus mihi his verbis adhibuisse videtur, qui scripsit: fortissimi viri vis in Ti. Gracchum, privati hominis. Madvigii autem coniectura, qui poposcit: non quo mihi P. Scipionis, fortissimi viri, virtus in Ti. privati hominis, displiceret, mihi eo non probatur, quod statim sequitur: sed Scipionis factum statim P. Mucius consul . . . non modo defendit, sed etiam ornavit; neque enim virtus defensione egebat, sed vis P. Nasicae. Madvigius autem putavit, Ciceronem, qui armatam vim adversariorum pellendam fuisse dixisset, neque in se, neque in P. Nasica, vim appellare potuisse. Sed hic vocabulum vis non minus aptum quam in formula vim vi repulsam (Sest. c. XVII) et vi vis illata (pro Mil. c. IV.) neque Cicerone aut Nasica indignum est.

XXXIV. 91. sed Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in gerenda re putabatur fuisse segnior, gesta . . . Necessarium est, Halmii et Mommsenii coniecturam recipere: re gesta.

XXXV. 93. Sed si mihi . . . . nihil umquam aliud obiectum est nisi crudelitas mea unius temporis. Codd. scriptura est: nisi crudelitas ea unius . . . .; Mommsenius scripsit: mea unius temporis; sed pronomen h. l. supervacaneum est. Quod nuper Madvigius coniecit p. 223: crudelitas et ea unius temporis, quamquam rectum sensum habet, non tam ad scripturam codd. accedere mihi videtur quam Halmii: eaque unius temporis.

XXXVII. 98. Madvigius p. 223 proposuit: subire conservandorum civium causa neque vitare cet; nam vix ferendum esse atque ita cum pro eo positum, quod esset idque cum. Sane concedendum est, h. l. non veram scripturam nobis traditam esse; sed nolim cum Madvigio scribere neque vitare; nam § 101 extr. eandem subibo atque

sustinebo docet a Cicerone hoc quoque loco duo synonyma esse posita, fortasse: subire conservandorum civium causa atque ita sustinere aut, id quod Halmius suspicatus est: subire . . . . atque ita pati, ut . . .

XXXVII. 99. Quare — dirumpatur licet ista furia atque audiat. Atque ferri non potest. Iam Ernestius et nuper Madvigius (p. 232) deleverunt; hic audiet scribendum esse iudicavit.

Deinde in codicibus scriptum est: ut consul togatus armatos vicerim, privatus consulibus armatis cesserim. Garatonii autem coniecturam, qui scripsit: qui . . . vicerim probabilem non esse, quivis facile sentiet, qui causam corruptelae accuratius perspexerit. Haec autem est commutatio, quae saepe in codd. invenitur, vocabulorum ut et cum. Cicero scripserat: cum consul . . . vicerim . . . cesserim. (H.)

XXXVIII. 101. Sp. Maelii regnum appetentis domus est complanata. † Et qui aliud? L. Spengelii coniectura est recipienda: et quia illud aequum accidisse populus Romanus Maelio iudicavit, nomine ipso . . .

XXXVIII. 102. Recipienda est Mommsenii scriptura: cum domo M. Fulvii Flacci. cf. Lahmeyer in Philol. t. XXII p. 469 („die Reihenfolge der Eigennamen bei den Römern").

XL. 105. Hoc auctore tam casto, tam religioso, tam sancto, tam pio, potestis pontifices non commoveri, cum . . . dicat . . . . . consecrasse?

Cum prima manu cod. Par. scriptum sit: pio testis nonnulla excidisse apparet; cum alii pio potestis scripserint, Halmius deleto in fine sententiae interrogationis signo proposuit non potestis, quod mihi praestare videtur; nam sedata et placida locutio non potestis non commoveri hoc loco aptior est.

XLI. 107. Ad codicum lectionem: pietas si honesta de numine eorum ac mente opiniô maxime accedit maximamque probabilitatem habet Halmii coniectura: nec est ulla erga deos pietas sine honesta de numine eorum ac mente opinione. In Baiteri autem coniectura, quamvis primo adspectu arrideat, deest durissime positum est. Deinde, quamquam in omnibus codicibus scriptum est, arbitrare non vereor Ciceronis usui obtemperans cum Orellio scribere arbitrere.

XLI. 107. Cum Ernestio scribendum est: ob eamque causam unam iniusta illa rogatione sua . . . .

XLI. 108. at qui aliqua se contagione praedae, societatis, emptionis contaminaverunt.

Pronomen se post vv. qui aliqua cum prima manu cod. Par. scriptum non sit, a Cicerone post emptionis positum esse videtur; ibi syllaba is antecedente facillime intercidere poterat (H).

XLII. 110. quam ex urbe tota sustulisti. Cum vv. domi meae opponantur vv. ex urbe, non ex urbe tota, et ex periodo statim insequente appareat, Ciceronem dicere voluisse, a Clodio libertatem funditus esse sublatam, cum Halmio scribendum est: totam.

XLII. 110. cum me indemnatum exturbares. Pronomen me post indemnatum inserendum esse Baiterus ipse in addendis ed. Tur. monuit. cf. ad Att. VIII, 18: qui me exturbent.

XLII. 110. cum forum armatis catervis perditorum hominum obsideres.

Codicum scriptura possideres corrupta est neque potest defendi. Verissima autem Graevii emendatio in textum est ita recipienda, ut non scribatur o**b**sideres, sed o**p**sideres (H.). Nam ex hac vera scriptura litteris transpositis mendum est ortum. V. Brambach, Hülfsbüchlein für lateinische Rechtschreibung; p. 18.

XLIII. 113. patremne appellem ante an filium. Hanc Mommsenii coniecturam Baiterus et Kayserus receperunt, atque hoc quidem recte; sed non dubito, quin hic fuerit ordo verborum: patremne appellem an ante filium (H.), nam si aliter res se haberet, codd. praeberent: patremne appellem ante filium. Mendum autem inde ortum est, quod scriba ante vocabulo scripto statim, quod oculi eius ante et an non distinxerant, omissa particula an ad filium aberravit. Simillimum mendum affert Madvigius in adv. crit. I p. 36: (M. Varronis, inquit, est fragmentum e Bimarco satira apud Nonium p. 248 sic expressum: „Socius es hostibus, socius ita bellum geris, ut bella omnia domum auferas". Restituetur acumen apertissimae formae retracta voce, quae post hostibus excidit: Socius es hostibus, hostis sociis; ita bellum geris.)

XLV. 117. Posuerat enim auctoritatem, quae est in his omnibus, sed tamen auget et aetas et honos dignitatem.

Verissima est Marklandi coniectura: opus enim erat auctoritate; sed hic esse debet ordo verborum: opus erat enim auctoritate. Post: in his omnibus Mommsenius lacunam esse statuit; cui ego non assentior; nam bene omnia cohaerent; sic vertas: Es war Ansehen erforderlich; zwar besitzen solches diese alle; aber es mehren doch Alter und Ehre die Würdigkeit.

XLVI. 121. Nihil loquor de pontificio iure, nihil de ipsius verbis dedicationis. Scribendum videtur: nihil de ipsis verbis dedicationis (H.). Nam verbis est premendum.

XLVII. 122. Ego vero si omnia sollemnibus verbis, veteribus et proditis institutis acta esse dicerem.

Pro proditis habent codices omnes: praeditis. Quamvis autem Naegelsbachii coniectura, qui proditis proposuit, ad codd. scripturam accedat, tamen malo cum Madvigio traditis scribere. Nam haec coniectura et sensui magis respondet neque longius a codd. vestigiis discedit.

XLVII. 123. si tribunus pl. verbis non minus priscis et paene sollemnibus bona cuiuspiam consecrarit.

Recipienda est Baiteri coniectura: priscis et aeque sollemnibus; nam hic sit sensus oportet: „prope iisdem, quibus utuntur pontifices ad consecrandum". (Manutius.)

IL. 128. statuebantur arae, quae religionem afferrent ipsae, si loco essent consecratae . . .

Magis quam Naegelsbachii coniectura Madvigii probanda est, qui in advers. crit. t. I. p. 36 scripsit: ipsi ei loco quo essent consecratae, statuens quo post loco omisso ei in si particulam esse mutatum. Sed probabilius est, si syllabam per dittographiam (ipsi) esse ortam; itaque sic est scribendum: quae religionem afferrent ipsi loco, quo essent consecrata. (H.)

L. 129. imperia adscribebantur nova iuventuti. Quod nuper Madvigius in advers. crit. t. II. p. 224 voluit imperia scribebantur nova iuventuti iam Lambinus poposcerat, cum diceret adscribebantur propter a ultimam vocalem nominis imperia esse positum. Sed quamquam cod. Par. prima manu scriptum est: imperi adscribe vereor a vulgata lectione adscribebantur recedere, quod Cicero in Sest. c. 30. (curatio, quae non esset attributa atque descripta) non simplici, sed composito verbo usus est. Ceterum quamquam hoc verbum nullo alio Ciceronis loco eam significationem, quae hic postulatur, habere fateor, tamen, quid sibi velit, manifestum est neque video, cur ineptum id esse Madvigius dicat.

LI. 131. censor enim, penes quem maiores nostri — iudicium senatoriae dignitatis esse voluerunt.

Laus loci restituti tribuenda est Madvigio, qui l. l. t. II. p. 224 scripsit: iudicium senatoriae dignitatis. Sententia autem Wolfii, auctorem

dicere voluisse de dignitate cuiusque, ut censor potestatem suam nomine senatus exercere significetur, falsa est; cf. Festum p. 246: praeteriti senatores quondam in opprobrio non erant, quod ut reges sibi legebant sublegebantque quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos consules quoque et tribuni mil. consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum et deinde plebeiorum legebant, donec Ovinia tribunicia intercessit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum quemque iurati (sic Meyerus.) in senatum legerent: quo factum est, ut qui praeteriti essent et loco moti, haberentur ignominiosi. cf. Meyer in ind. lect. Hal. a. 1844; Hofmann, der römische Senat w. d. R. 1847.

LI. 132. Si quid deliberares — instituto inchoares.

Locus corruptissimus; maximam probabilitatem habet Halmii coniectura, quae est in textum recipienda: Si quid deliberares, si quid tibi aut piandum aut instituendum fuisset religione domestica, more vetere ad pontificem detulisses: nunc novum delubrum cum in urbis clarissimo loco nefando instituto cet.

LII. 133. in patriae parricidio et scelere.

Cum sententia verbum postulet, Baiterus scripsit: in patriae parricidio excellere. Sed verbum maioris gravitatis desideratur. Multo probabilius est, Ciceronem scripsisse: in patriae parricidio exsultare. (H.) Exsultandi verbum apud Cic. cum „in" praepositione coniunctum est etiam pro Cornelio Balbo c. 26, 59: non modo non exsultavit in ruinis nostris, et p. Sest. c. 41, 88: in funeribus rei publicae exsultantem.

LIII. 136. Sed ut revertar ad ius publicum iudicandi. Lectio dedicandi, quam cod. Mediceus praebet, contra P, qui habet: iudicandi, retinenda est; nam in § 138. scriptum est: quae sunt adhuc a me de iure dedicandi disputata. V. Manutium ad h. l.

LIII. 137. in † hisce rebus ut in urbe . . . Codicis Parisini lectionem: in hisce rebus ut in urbem suis laboribus, quae sensu caret, sanavit Madvigius l. l. t. II. p. 224 haec scribens: in eius civis aedibus, qui urbem suis laboribus. Ea, quae deinde in cod. Par. leguntur: ab aequitum nota doloris adhuc non sunt emendata; nam quae vulgo leguntur, longius a codd. scriptura recedunt. Ego autem non existimo, requiri pronomen tuum, quod Wolfius poposcit; sic vertas: was du nach der Tilgung des Namens des Catulus mit einer (eingegrabenen) Inschrift versehen hast. cf. Naegelsbach, Stilistik p. 297.

LIV. 138. quid dici, quid † praere, quid tangi. Recipienda est Halmii coniectura: quid praeiri. cf. § 133: ut mihi praeeatis postemque teneatis.

LV. 141. si iste † metus furore instinctus, scelere praeceps .... Cum tria substantiva sint, metu (non: metus; neque enim dubium est, quin Cicero scripserit: metu) furore, scelere, ut tripartita sit oratio, participium ad substantivum metu positum desideramus. Itaque scribendum esse videtur: si iste metu exanimatus, furore instinctus ... (H.) cf. p. Mil. c. 24, 65: non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione non metu exanimari.

LVI. 143. tamen illi di penates. Madvigius l. l. p. 224 particulam tamen optime mutavit in: iam.

LVII. 146. sed etiam urbis partibus velle esse privatum.

Maxima convicia Marklandus scriptori fecit propter verba: urbis partibus. Aut stupidus, inquit homo Anglus, fuit hic rhetor; aut ebrius erat, quum haec scriberet. Sed hoc quoque loco, ut sexcenties, paucis litteris mutatis oratio ea fit, ut nulla iam indigeat defensione. Nam cum in cod. Par. scriptum sit: patribus (non: partibus). Ieepius hoc vestigio insistens scripsit: urbis patriae visu. Sed si cum hac § verba § 145.: tum mihi re publica aliquando restituta liceret frui, et § 146 primae: tota urbe careo, comparaveris, intelleges Ciceronem scripsisse: urbis patriae usu velle. (H.)

II. De iis rebus, quae contra historiae fidem scripta esse dicuntur.

Deprehendisse sibi videbantur Marklandus et Wolfius multa, quae vel in temporum ordine scripta essent contra historiam, multa, quae a vero Cicerone plane aliter narrarentur, aut quae in hac oratione sic traderentur, ut Ciceroni non convenirent, multos errores, multa peregrinitatis signa, multa, quae declamator de suo ingenio admiscuisset. Poteram autem tantorum virorum crimina perlustrans animo deficere, ut facile a proposito recederem; sed id me consolabatur, quod, cum studia ad Romanorum historiam, antiquitates, iuris scientiam pertinentia nulla aetate laetius effloruissent, quam nostra, ego plurimos et amplissimos libros exstare vidi, ex quibus ad hanc orationem tractandam et explanandam multum subsidii petere possem. Maxime autem Drumanno, viro egregio, permultum me debere fateor, qui

Ciceronianae aetatis historiam tam subtili ac recto iudicio scripsit, ut nihil possit accedere.

Initium mihi autem ab iis rebus faciendum existimo, quae, cum earum nusquam mentio fiat, nisi in hac oratione, Wolfio ob hanc causam offensioni erant. Nam protinus in eam sententiam abripitur, qua has res non veras, sed a declamatore confictas esse neque ullo modo ad verisimilitudinem accedere existimat. Neque ego, inquit, (p. XXXVIII) cuiquam auctor fuerim, ut eas res accipiat pro veris et exploratis, quae ibi leguntur sine adiumento gravioris auctoritatis; id quod de oratione pro domo in pluribus quaestionibus antiquitatis adhuc fecerunt iure consulti, in posterum fortasse cautiores futuri.

Priusquam autem ad singulos locos transeo, ante omnia mihi praemonendum est, Wolfium, nisi praeiudicata opinione ductus esset, quam falsam argumentandi rationem sequeretur, ipsum intellecturum fuisse. Nam mala esset condicio veterum scriptorum si omnia, quae apud eos solos nulla aliorum confirmata auctoritate leguntur, spuria et commenticia esse iudicaremus; quid enim restaret, quo velut certo fundamento niteremur? Sed in iis rebus, quarum alii auctores non exstiterunt, eam nos rationem sequi oportet, ut de fraude non cogitemus, nisi eius vestigia aliunde apparent. An res ob eam causam magis ad veritatem accedere videtur, quod testimonio nescio cuius scriptoris ex naufragio litterarum forte servati confirmatur? Num si illo testimonio careret, falsam eam esse existimaremus? Accedit autem, quod declamatori, qualem Wolfius finxit, qui leges ignorat neque senatus consulta tenet et ius civitatis deridet, cum hominibus litteratis hac oratione sub Ciceronis nomine edita imponere studeret, male ea conveniunt, quae nova et inaudita sunt: immo usitata potius et tralaticia talis promere solet, quia et nihil aliud ad usum repositum habet et rebus novis inauditisque ne deprehendatur, metuit; facilius enim erratur in reconditis rebus quam in vulgatis. Quae cum ita sint, adduci non possum, ut ea, quae Wolfius senserit, vera esse mihi persuadeam.

Wolfius (in cap. XIX § 50) ab aliis, quam a scriptore huius orationis doceri malit, Ciceronem a Clodio criminis S. C. fraude in aerarium relati esse insimulatum. Bene autem evenit, quod huius rei testes et auctores producere possumus. Nam in or. pro Sulla c. XIV § 40 scriptum est: Exclusus hac criminatione Torquatus rursus in me irruit, me accusat: ait me aliter ac dictum sit, in tabulas publicas rettulisse, et in § 41: „Vidi ego hoc, iudices, nisi recenti memoria senatus auctoritatem huius indicii (vide Ernestii explicat.) monumentis publicis testatus essem, fore, ut ali-

quando non Torquatus neque Torquati quispiam similis . . . , sed ut aliquis patrimonio naufragus . . . aliter haec indicata esse diceret". Quamquam autem haec ad P. Sullae nomen a Cicerone subtractum referenda sunt, Clodius Torquati accusationem ita exaggeravit, ut omne senatus consultum a Cic. falsum in tabulas publicas esse relatum dicat. V. Drumann, Geschichte Roms p. 552 n. 40. Deinde Ciceronem illius criminis esse insimulatum testatur scholiastae, qui ad Cic. or. de aere alieno Milonis c. III § 1 extr. (v. M. T. C. scholiastae edd. Orellius et Baiterus pars II p. 345) haec annotavit: „nec ullam sibi ex iis invidiam re (ita cod.) pertimescendam, qui et in senatus consultum nihil mentitus sit et restitutionem meruerit". Sive hoc loco scribendum est: „qui et senatus consultum nullum mentitus sit" sive: „qui in senatus consultis nihil mentitus sit" hoc quidem ex hoc scholio intellegitur, Ciceronem et illius criminis esse insimulatum et de eo se purgatum voluisse.

Videmus igitur, quid valeat illud Wolfii argumentum, quo illas res, quae in hac oratione nulla aliorum confirmata auctoritate legantur, a declamatore fictas esse iudicat.

Ad. c. V. § 13 per ironiam dicit W., oblitos esse Ciceronem et Asconium ad Milon. c. 14 narrare, a M. Lollio insidias esse paratas Pompeio et Ciceroni. Ad has insidias illa esse referenda verisimile est, quae scripta sunt in Sest. c. XXXII § 39: „initur consilium de interitu Cn. Pompei" et in Mil. c. 7: „comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat", et c. 14: „haec insidiata Pompeio est"; ad insidias Tullio structas locus Milon. c. XIV pertinet: „Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est". Hoc autem suspicari licet, non Clodium ipsum rem egisse, sed alicui satelliti scelerum suorum mandasse, qui per servum Pompeium occidere conaretur. cf. Savels, comment. de M. T. C. or. pro domo p. 13.

Quae in c. II. § 3. leguntur, pontifices de Cicerone absente sententiam dixisse, optime explicantur, si statuimus, eos solos sententiam dixisse, qui erant senatores atque id factum esse illo senatu, cuius in Sest. c. LXII mentio fit „quo P. Servilius omnes prope ab inferis revocavit Metellos". cf. Drumann II p. 310 n. 41. Neque magis haeremus in c. XXIII § 59, ubi Cicero dicit, filiolo suo et Quinto fratri saepe esse insidias paratas, id quod Wolfio offensioni erat; nihil enim tam graviter dictum legi apud Ciceronem de repetitis talibus insidiis. At quis non videt, illud oratorie esse dictum; quis nescit, Ciceronem omnes res, quae ad eius exilium per-

tinebant, verbis auxisse? Accedit, quod Cicero ne in Sestiana quidem de hac re sibi constat; nam cum in cap. XXIV § 53 scriptum sit, liberos ad necem quaesitos esse, in eiusdem or. c. LXIX § 45, ubi hoc referri exspectes, hoc unum dicit, liberos esse dissipatos? Ecquid vides Wolfianae sententiae perversitatem? An id nobis statuendum est, or. Sest. c. XXIV et LXIX non ab eodem esse scripta?

Ad c. XXVII § 70, ubi scriptum est: „nam tribunis plebis referentibus sententiam de me designatus consul saepe dixisti“ Wolfius adnotat haec: „Octo tribunis plebis saepenumero referentibus credo. Unam Lentuli designati cos. de se sententiam laudat Cic. pro Sest. § 70.“ Sed Wolfium plane fugit, quae sententia insit in verbis „tribunis plebis referentibus.“ Non hoc dicit Cicero, P. Lentulum saepe sententiam de se designatum consulem dixisse, cum octo tribuni plebis de Ciceronis reditu referrent (v. Drumann, II p. 281); nam cum verbis „tribunis pl. referentibus“ in enuntiato insequenti contra positum sit „ex Kalendis Jan.“ satis intellegitur, Ciceronem ita dividere, ut dicat anno 58. de suo reditu rettulisse tribunos (nam Piso et Gabinius consules P. Clodii lege impediti de hac re referre non audebant, v. Sest. c. XXXII), proximo autem anno (57) Lentulum consulem ipsum. Itaque sic vertas: Denn solange die Volkstribunen die Anträge über meine Rückkehr stellten (anno 58.), hast du oft als erwählter Consul deine Meinung über mich geäufsert; seit dem ersten Januar aber (anno 57) hast du cet. Quoniam autem demonstravimus, quae sententia verbis „tribunis pl. referentibus“ subiecta sit, restat, ut probemus, Lentulum anno 58., quo tr. pl. de reditu Ciceronis referebant, saepe sententiam dixisse. Hoc autem probatur Sest. c. XXXII § 69: „qui, cum in senatu privati, ut de me sententias dicerent, flagitabant, legem illi se Clodiam timere dicebant“; imperfectum autem „flagitabant“ docet, Ciceronis causae saepe a privatis mentionem factam esse. Sed quid hoc ad hanc rem? Num Lentulus tum privatus erat? Sane; nam consul designatus erat privatus (cf. hanc tu, P. Lentule, neque privatus neque consul legem esse umquam putasti). At ubi scriptum est, Lentulum in illis privatis fuisse, qui flagitabant, ut de Cicerone sententias dicerent? Hoc nusquam scriptum est; sed nemo dubitabit, quin res sic se habeat, qui Sest. c. XXXII, XXXIII, LXIX, Mil. c. XV legerit.

Ad c. X § 26, ubi res frumentaria ex ore impurissimo Sex. Clodii esse erepta narratur, Wolfius monet apud Asconium in Pis. c. 4 et Dionem XXXVIII, 13, qui P. Clodii legem de annona tangant, nihil esse scriptum de cura Sex. Clodio mandata, cuius ne Cicero quidem mentionem faciat.

Hoc unum dico, cum ea, quae in c. 18. („hanc tibi legem Clodius scripsit“) scripta sunt, Sest. c. LXIV et Mil. c. XII confirmentur, hoc quoque verum esse existimo, Sex. Clodio rem frumentariam esse traditam.

Ad c. IX § 22 satis habeo Drumanni verba afferre (II. p. 237 n. 87): „Caesar und Clodius blieben in steter Verbindung, bis Cicero und Cato entfernt waren; dem Briefe Caesars, welchen Clodius dem Volke vorlas und dessen Echtheit Cicero nicht unbedingt zu leugnen wagt, waren offenbar viele andere vorausgegangen“; et (III, p. 753): „Auch im Felde blieb Caesar mit Rom und mit den Männern, deren er bedurfte, in steter Verbindung; seine Freunde und Sendlinge vermittelten sie und nicht weniger seine Briefe.“

Denique nullius momenti est, quod Wolfius (ad § 127) de lege Papiria attulit; nam et satis defenditur iis, quae in ep. ad Att. IV, 2 § 3 scripta sunt, neque quidquam in eius descriptione inest, quod iustae offensioni sit. cf. Th. Mommsen, röm. Staatsrecht. I. p. 142 ann. 2.

Satis verba mihi fecisse videor de iis rebus, quae in hac oratione aliorum scriptorum testimonio carent. Sequitur, ut ad reliqua transeamus, quae contra historiae fidem et veritatem inesse dicuntur.

Atque primum quidem Wolfius in c. I imperitiam declamatoris notat; falsum enim esse, nemini nisi senatori licuisse fieri pontificem vel, ut deinde dicatur, viros tantum senatorii ordinis ad sacerdotium esse delectos. Iam si non omnes, sed tantum partem, vel plerosque etiam senatores fuerint, aut si quis illud de prisca, non de Ciceroniana aetate capiendum putet, tota sententia corruat necesse esse misereque evanescat divinum institutum.

Ex Ciceronis ad Att. ep. libr. IV, 2 („adhibentur pontifices omnes, qui erant senatores“) satis constat, non omnes pontifices fuisse senatores; neque enim ius pontificium erat, ut hoc ipso sacerdotio in senatum introirent. (cf. L. Mercklin, die Cooptation der Römer; Mitau und Leipzig 1848; p. 179: „Die übrigen pontifices sind nicht vermöge ihrer Priesterwürde Senatoren“; Cic. ad Att. 4, 2, 2; Phil. V, 17, 46: Senatui placere, C. Caesarem, c. f., pontificem, propraetorem, senatorem esse) neque id institutum erat, ut nemo nisi qui senator esset, pontifex fieri posset. At neutrum h. l. dictum est, sed id significatur, maiores voluisse, senatores vel amplissimos viros (§ 2; erit causa, cur consilium maiorum etc.) potissimum ad pontificatum deligi.

Deinde Wolfius (c. V § 11) monuit scriptorem „quocunque loco vellet, motus concitasse et senatum habuisse“; nam cum in § 6 senatum in Capitolio habitum ibique concursum esse factum finxisset idque in § 16 repe-

tivisset, in § 11 eum narrare, senatum in templum Concordiae esse vocatum. Censor putasse videtur, uno die senatum esse habitum. At ex Cic. ep. ad Atticum datis scimus, non uno die, sed compluribus diebus senatum habitum et, cum senatus habebatur, concursum esse factum. Nam l. l. IV 1 § 6 scriptum est: „Eo biduo cum esset annonae summae caritas et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent . . . cum per eos dies senatus de annona haberetur et ad eius procurationem sermone non solum plebis . . . Pompeius vocaretur; . . . multitudoque a me nominatim postularet: Factum est senatus consultum in meam sententiam, ... Postridie senatus frequens“. Itaque cum compluribus diebus senatus habitus esset, id quod in hac oratione quoque c. IV scriptum est (quam sententiam dixi? quae erat superioribus diebus agitata in senatu), non est, cur haereamus, cum scriptum legamus, et in Capitolium et in templum Concordiae senatum esse vocatum. cf. Drumann, II. p. 305, n. 12. Savels, comment. p. 12.

Ad id vero quod notatum est c. VII § 17, auctorem verbis: „sic reditu meo — reducta videantur“ non dilucide dixisse neque forsan ipsum scivisse, num iam pridie Kal. Oct. aliquem effectum habuisset frumentaria potestas Pompei, hoc monendum esse videtur, illa verba ad annonae vilitatem esse referenda, quam, cum senatus de Ciceronis restitutione decrevisset, statim successisse ex huius or. c. VI scimus; reditus autem vocabulo ea vis subiecta est, qua non minus quam in § 17 reditum a p. R. decretum vel de reditu decretum significat; huic decreto quodammodo opponitur adventus; nam cum paullo post Ciceronis reditum annona opera Pompei ingravesceret, ut iam plane inopia ac fames, non caritas timeretur, Cicero in senatu eam sententiam dixit, ut pro beneficio populi Romani aliquid praestaret. Qua sententia non solum famem esse depulsam, sed etiam cives a caede et incendiis esse defensos, Cicero, cum hanc orationem haberet, et ipse scivit et in c. VIII § 18 dilucide dixit.

Praeterea Wolfius (in c. XIII § 34) miratur, augures adesse dici in tali causa, quae proprie ad pontificum cognitionem pertinuerit; neque enim verisimile esse, illos ideo affuisse, quod plerique pontifices iidem fuerint augures, aut tamquam sententiam laturos; restare ergo, ut cum Ferratio augures fortuito, non necessario praesentes putentur, aut ad eam sententiam confugiatur, quae tot similibus difficultatibus medeatur, ut ista verba verba esse credantur. At mihi neque ilud neque hoc probatur. Nam si recta esset sententia Ferratii, qui (in epist. Venetiis 1738) augures advocatos Ciceronis et non tamquam iudices, sed eorum testes, quae dicturus esset, fuisse ex verbis, quae in or. de har. responso leguntur „maxima frequentia amplissimorum

ac sapientissimorum civium adstante" concludit, oratorem in § 39 accuratius de augurum iure dicere non oportuit. Sed ego iudico, augures in hac caussa a pontificibus ut existimatores omnium rerum, quae ad auspicia pertinebant, esse adhibitos. cf. Marquardt, röm. Staatsverwaltung III. p. 384: „Die Augurn sind, wie die Pontifices, ein Collegium von Sachverständigen, dessen Beistand die Magistrate bei allen Handlungen requirieren, bei welchen der Staat sich der Genehmigung des göttlichen Willens zu versichern hat."

Porro in cap. XIV § 38 dupliciter imperite fecisse declamatorem Wolfius dicit, primum, quod patricios etiam tum putaverit auctores factos comitiorum, id quod priscis quidem aetatibus verum fuerit, non Ciceroniana, qua patriciatus nemini viam in Senatum aut praecipuum locum daret, sed illa auctoritas, si modo fuerit, esse debuerit **Senatus** i. e. Patrum, non patriciorum; deinde quod tanti existimaverit hanc omnem rem, quod patres auctores fierent eorum, quae populus in comitiis iussisset. Ego primum illam auctoritatem non senatus, sed patriciorum fuisse demonstrabo; deinde exponam, illam auctoritatem etiam tunc Ciceroniana aetate fuisse neque esse, cur oratorem eam imperite pluris fecisse dicamus.

Atque primum quidem satis constat, acta comitiorum sic rata haberi, si patres eorum auctores facti erant. Sed cum anno ab urbe condita 415. Q. Publilius Philo legem tulisset, legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent (Liv. VIII c. 12), patribus non iam licuit, acta centuriatorum et curiatorum comitiorum reprehendere. Deinde lex Maenia intervenit (a. a. u. c. 468), qua sancitum est, ut consulum (magistratuum) quoque, qui comitiis centuriatis crearentur, patres ante auctores fierent. Quid autem de patribus sentiendum est? Disputaverunt nuperrime de hac re: H. Christensen „die ursprüngliche Bedeutung der patres" (Hermes IX, p. 196 seqq.) et „die ursprüngliche Bedeutung der patricii" (Husum, 1876); vide etiam censuram Langii commentationis „de patrum auctoritate" ab eodem scriptam in annal. philol. a. 1876 p. 521; Lange, de patrum auctoritate (duabus commentationibus, quarum una Lipsiae anno 1875 prodiit, altera a. 1876); cf. H. Schilleri censuram horum libellorum in: Bursians Jahresbericht t. XIX p. 400 seqq. Nobis contra Wolfii sententiam id solum demonstrandum est, non senatum, sed patricios esse auctores factos. Horum patriciorum id quoque erat, ut interregem proderent; sed quamquam hi etiam patres (velut ap. Livium in lib. XXII. c. 34: interreges proditi sunt a patribus) dicuntur, tamen interregem non a senatu, sed a patriciis proditum esse ex loco Asconii intellegitur. Nam cum apud eum scriptum sit (Riessling et Schöll

p. 27): „cum Pompeius gener Scipionis et T. Manutius tribunus pl. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui interregem proderent, non essent passi", hoc apparet, patricios et senatum non fuisse eosdem. Utrum autem soli ii patricii, qui senatores erant, (Mommsen cum al. locis, tum: römisches Staatsrecht, I. Bd. 2. Aufl. p. 634) an patres familias gentium patriciarum (haec est sententia Langii) coierint, ad quaestionem, quam instituimus, nihil interest. Quoniam autem hoc demonstratum est, altera Wolfii criminatio repellenda est. Clare Livius testatur, etiam sua aetate patricios auctores factos esse, I, c. 17: decreverant enim, ut, cum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fuerint: hodieque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur idem ius vi adempta. Neque hoc offensioni esse debet, quod scriptor haec omnia tanti putavit; parva enim esse haec. Sed Romani ista parva (Liv. VI, 41) non contemnebant neque Cicero, qui haec inter iura patriciorum commemoravit, excusatione eget, quia Romani nè quid de rebus a maioribus institutis immutaretur, anxie providebant.

Deinde Wolfius arguit verba: auspiciaque populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, quum interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patriciis prodi necesse est. Sed Wolfius illa verba non magis intellexit quam Ferratius; hic ut, quae vis inesset in enuntiato „si magistratus patricii creati non sint", non intellexit, sic „magistratus patricii" falso explicuit. Neque enim magistratus patricii ii sunt, qui a nullo nisi a patricio geri possint, sed iidem ac magistratus curules; cf. Mommsen, römisches Staatsrecht I p. 18 edit. II: wie denn auch das römische Staatsrecht in diesem Sinne die Magistraturen einteilt in magistratus patricii, d. h. nicht dem patricischen Stande vorbehaltene Ämter, aber Ämter der patricisch plebejischen Gemeinde. cf. ann. 2. Weissenborn ad Liv. IV. c. 43 § 10: der Name (patricius magistratus) wurde auch beibehalten, als schon Plebejer Zutritt zu den Ämtern erhalten hatten, so dafs der Ausdruck nicht wesentlich verschieden ist von curules magistratus. Hoc autem dicit Cicero: Si acciderit, ut consulari potestate magistratus, qui auspicia habent,[1]) non sint, (cf. Mommsen l. l. I 629) et ob eam

---

[1]) Mommsen, l. l. I 86: die Auspicia publica kommen den Magistraten zu; I, 88: indes erforderte eben diese Consequenz, dafs, als und soweit die Plebejer, zu denselben zugelassen waren, zwischen den Auspicien der Beamten patricischen und der Beamten plebejischen Standes kein Unterschied weiter stattfinde; in der That ist dies auch niemals geschehen.

rem interregnum, quo auspicia renovari debent,[1]) fiat necesse sit (nam dum unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt; Cic. ad Brut. I 5, 4.) auspicia, si nullus iam patricius erit, intereant necesse est neque enim renovari possunt auspicia nisi ab interrege; sed interrex non iam erit, quia interregem et patricium esse et a patriciis prodi necesse est. cf. Mommsen l. l. I. 630.

In c. XV. § 40. Wolfius id quod de M. Bibulo ab Appio Claudio Pulchro (Mommsen, röm. Staatsrecht II, 1 p. 286 annot. 3) in contionem producto legitur, a declamatore fictum esse putat; nam certe veram historiam docere Appium Claudium et Ciceronem nondum illo tempore reconciliatos esse; itaque verisimile non videri, Bibulum ab Appio esse productum, ut Clodii tribunatum oppugnaret. Sed scriptorem huius orationis non fugisse, tum Ciceronem et Claudium nondum reconciliatos fuisse, ex § 112, ubi Appius fur dicitur, et § 83 („Sed si patrem tuum, civem, medius fidius, egregium dissimilemque vestri) satis intellegitur. At ubi scriptum est, Bibulum esse ab Appio productum, ut Clodii tribunatum infirmaret? Bibulum esse productum, dicit Cicero; cur productus sit, non item. Quis credat, Appium, qui de Ciceronis reditu non promulgavit, Bibulo contionem dedisse, ut Clodium tr. pl. lacesseret? Sed hoc dicere sane licet, Bibulum in contione nescio qua de causa verba facientem subito privato consilio in Clodium esse invectum. cf. Drumann, II, 281, annot. 44.

Iam vero si Wolfius in c. 27 § 71 in verbis haesit: „nam non est ita latum, ut mihi Romam venire liceret, sed ut venirem“, satis habeo eum ad Pis. c. 15 relegare, quo illa verba defenduntur; ibi scriptum est: Me Kalendis Ianuariis ..... frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo ac fortissimo viro, P. Lentulo, consentiente atque una voce revocavit. cf. in Vatin. III, 7: quem vides omnium civium desiderio, ipsius denique reipublica luctu esse revocatum. Ea autem, quae censor de conformatione sententiae dicit, ad eius studium cavillandi referenda sunt.

Ea, quae a Marklando de verbis (c. 28 § 73) „nulli pagani aut montani“ (W. A. Becker, Handbuch der röm. Altertümer, II, 1 p. 175,

---

[1]) Mommsen l. l. p. 87: dafs als letzter Träger der Beamtengewalt die Gesamtheit der patricischen Senatoren und das Zwischenkönigtum galt, so dafs wenn ein höchster Beamter vorhanden war, diese Gewalt ruhte, sofort aber hervortrat, wenn derselbe fehlte, drückte sich schärfer noch als in den weltlichen Geschäften nach der Seite der Auspicien aus.

ann. 396; Mommsen, de collegiis et sodaliciis Romanorum, Kiliae 1843, p. 14) notata sunt, iam a Gesnero ita sunt profligata, ut etiam Wolfio in iis nihil iam M. Tullio indignum esse videretur. (cf. Drumann II, 240, annot. 26 et V, p. 473). Restat igitur, ut Wolfii accusationem refutemus, qui ea, quae in eadem § de conventiculis plebis urbanae velut publica auctoritate florentibus leguntur, vix illo tempore Ciceronem scribere potuisse iudicat. Quod maxime hoc loco Asconii (in Cornelianam, in Kiesslingi et Schoelli ed. p. 67) demonstratur: Frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod postea collegia et S. C. et pluribus legibus sunt sublata praeter pauca atque certa quae utilitas civitatis desiderasset, qualia sunt fabrorum lictorumque. Sed nobis monendum est, illo senatusconsulto anni LXIV. (v. Mommsen, l. l. p. 74) non modo non omnia collegia esse dissoluta, sed etiam id ipsum S. C. ab Asconio laudatum lege Clodia de collegiis restituendis novisque instituendis anno LVIII. perlata esse sublatum. (v. Mommsen, l. l. p. 76). cf. in Pis. IV, 9: collegia non ea solum, quae senatus sustulerat restituta, sed innumerabilia quaedam nova ex omni faece urbis ac servitio concitata. Ascon. ad h. l.: Diximus L. Pisone A. Gabinio coss. P. Clodium tr. pl. . . . . tulisse . . . . de collegiis restituendis novisque instituendis, quae ait ex servitiorum faece constituta. Cicero pro Sestio XXV, 55: ut collegia non modo illa vetera contra S. C. restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova constituerentur. cf. Halm, pro Sest. p. 143.

Insulsitas, quam Wolfius in verbis „poena legitima“ (c. XXXI § 83) invenit, inde orta est, quod censor a sententia scriptoris aberravit, qui vocabulo „legitima“ ita usus est, ut non id, quod Wolfius significari voluit, demonstret. Qui cum poenam legitimam idem valere ac poenam meritam seu iustam („ille poenam meritam tulit, in me damnati poena esse non potuit“. sic explicat Wolfius) temere sibi persuasisset, antitheta indagavit. O misellum declamatorem, qui talia antitheta componeret! At poena legitima non significat poenam iustam, sed poenam lege irrogatam; nam tribunus plebis Appio Claudio lege imperium abrogaverat et id ipsum, imperium lege abrogatum, dicitur poena legitima. Huic opponitur poena Ciceronis, quae non erat poena legitima, quia illa lex Clodii de Ciceronis quidem sententia lex non erat. (cf. Drumann, II, 258: „Nach der Meinung des Verurteilten war des Gesetz ungültig“ et ea quae sequuntur). V. Manutium ad h. l. Imperium autem, quod Appio Claudio lege tribuni plebis abrogatum est, consulare fuisse Manutius existimavit; sed virum doctissimum

anno demum 79. Appium fuisse consulem fugit. (v. Drumann II, p. 184). Hoc autem verisimile videtur, Appium, cum anno 89 praetura eum functum esse (Drumann II. p. 184) et Cinnam ab anno 87. quattuor deinceps consulatus gessisse constet, praetorium illo tempore foris aliquod negotium publica auctoritate gessisse.

Magna est Marklandi levitas, qua (c. XXXII § 83) duas diversas epistolas a senatu ad exteras civitates missas, quarum altera nationibus exteris Ciceronis salus commendabatur, altera sociis populi Romani, quod eum benevole recepissent, gratiae agebantur, a scriptore h. or. confundi dicit. His autem locis praeter hunc earum a Cicerone mentio fit: in Pis. c. XV; pro Sest. c. LX; pro Planc. c. XXXII; Paradox. IX. Quia autem illo loco, ubi prioris epistolae, qua Ciceronis salus nationibus commendabatur, verba servata sunt, Cicero civis servatorque reipubl. (in Pis. c. XV) appellatur, cum illo loco, ubi posterior epistola commemoratur, nihil de hac appellatione scriptum sit, Marklandus, quoniam h. l. posterioris epistolae ita mentio fit, ut in ea Ciceronem civem optime de republica meritum similiter atque in priore, appellatum esse videamus, temere duas epistolas a declamatore confundi putavit. At posterioris epistolae nusquam accuratam mentionem fieri Marklandus ipse concedit. Nonne igitur in posteriore quoque epistola, de qua praeter pauca Sest. verba (— cuius umquam propter salutem nisi meam senatus publice sociis populi Romani gratias egit —) nihil traditum est, similis appellatio Ciceronis atque in priore esse poterat? Num licet ilico de confusione cogitare? Iam vero, quod de appellatione ipsa Marklandus reprehendit, eiusdem levitatis est. Cuius verba haec sunt: cum civis optime de republ. meritus tralaticii honoris appellatio sit, et eiusmodi, quae sexcenties civibus omni tempore tribui posset, absimile vero videtur, tam perfunctorie nunc virum laudari a senatu, a quo antea appellationem tulisset infinito ampliorem et nulli umquam civi impertitam. At cum Cicero a § 72 se nunquam exulem, sed semper civem fuisse demonstret, h. l. appellatio „civis optime de republica meritus" eo aptior est, quod nomen „civis" de quo agitur, in eo magis exstat atque apparet; nam in altera appellatione „civis conservator reipublicae" nomen „civis" minus esset conspicuum et alterum „conservator reipublicae" esset gravius. At h. l. non de conservatore, se de cive agitur.

Argumentum peregrinitatis Marklando esse videtur, quod in c. XXXXV. § 117 tribuno pl. licuisse pontificem vel denuntiare vel cogere ad functionem numeris sui scriptum est. Qua in re Dionysii Halic. a. r. II, 73 nititur, ubi pontifices fuisse ἀνυπευθύνους πάσης δίκης τε καὶ ζημίας tra-

ditum est. Sed iam Generus Dionysium in tantum verum dicere monuit, quatenus pontifices rationem cogerentur ordinarie reddere suarum actionum, sententiarum. De potestate autem tr. pl. confer Mommsen, röm. Staatsrecht, I p. 26 annot. 1; II p. 20 annot. 5.

Tot similibus erroribus, qui in hac oratione deprehendantur, Marklandus id quoque addendum esse putat, quod uno tempore et foedera provinciarum icta et legem de Cicerone scriptam esse in c. L § 139 legimus. Non primus ille hoc notavit; sed iam Graevius cum Pisone et Gabinio consulibus antea Clodium de provincia Macedonia et Syria transegisse putavit; sed licet tum demum cum illis decidisset, tamen hoc non esse foedera provinciarum ferire. Haec Graevius. At sive locutioni „foedera feriebantur“ ea vis subiecta est, qua consulibus lege provincias datas esse et tribunum pl. cum consulibus decidisse significat, sive ea, qua Clodium et consules de Cicerone et de provinciis pactionem fecisse dicit, Cicero recte dicere potuit „uno tempore“ omnia esse facta; nam sive illa vis spectatur, a Clodio eodem die, quo Cicero Roma discessit, duas esse leges promulgatas, unam de provinciis consulum, alteram de pernicie Ciceronis (v. Drumann, p. 257. Sest. c. X) constat; sive hanc spectare libet, haud multo post pactionem factam (quam mense Februario aut Martio factam esse verisimillimum est) Cicero in exsilium profectus est mense Martio extremo (V. Orelli, onomast. Tull. I, p. 62), ut ne ita quidem errorem deprehendere possimus. cf. Drumann, II, 260 ann. 7.

Ad c. XX § 53 Wolfius annotavit haec: Vix dubium est, quin falsum et commenticium sit, quod vulga accredunt huic uni auctoritati legem Caeciliam et Didiam (cf. c. XVI) non modo trinundinum constituisse, sed ea hoc quoque cautum fuisse, ne de diversis rebus eadem rogatione ferretur. Non enim credibile est, talis legis latores, quae rogationem pluribus rebus iungendis fieri vetaret, ipsos primos exemplum prodere voluisse. Sed res difficillima est aliquid certum statuere, quoniam de legis Caeciliae Didiae[1]) altero capite („ne rogatio pluribus verbis iungendis fieret“) nihil usquam nisi hoc loco scriptum est. Ut difficultati mederentur, Manutius (ad Sest. c. 64) et Drumannus (II. p. 24) duas fuisse leges statuerunt, unam trinundinum in lege servari iussisse, alteram, alia de re latam, diversa unam in legem inculcari vetuisse. Sed magis probandum videtur, quod Bardtius statuit, unam fuisse, qua, quae res

---

[1]) Carl Bardt, Zur lex Caecilia Didia cet (Hermes IX, 305); L. Lange in mus. rhen. n. s. XXX, 350.

servandae essent in rogationibus, esset sancitum. Quamquam autem fieri non poterat, quin plures res ea complecteretur, tamen ad unam eandemque rationem omnes referebantur. Sed utcunque haec res se habet, ea haec oratio non magis in dubitationem vocatur, quam iis, quae in c. 16. leguntur, ubi W. declamatorem in illa lege curiata nihil nisi trinundinum neglectum reprehendisse notavit. At nonne in cap. 13 in illa lege reprehenditur, quod a pontificibus neque causa adoptionis neque ratio generum, dignitatis, sacrorum est quaesita? nonne in cap. 15. vituperatur, quod, cum illo die de caelo servaretur, lex curiata de Clodio lata est? nonne in c. 29. dicitur, in illa adoptione legitime factum esse nihil?

Dedimus operam, ut dilucide de rebus ad historiam pertinentibus diceremus; nunc hac parte absoluta sequitur, ut ad Wolfii argumenta ex arte grammatica petita transeamus.

III. De ratione grammatica.

In hac commentationis parte id agemus, ut ea refutare conemur. quae contra linguam et grammaticae praecepta in oratione de domo inesse dicuntur. Qui autem ea, quae consideranda proponamus, animo a partium studio alieno examinaverit, ei non temere illud statuere atque affirmare videbimur, Wolfii reprehensiones inde ortas esse, quod persaepe locos, in quibus haesit, non diligenter inspexit et, quae in aliis Ciceronis libris omnibus codicibus consentientibus legantur, ea summo Romanorum oratore indigna esse existimavit et legum grammaticarum, quas saepe in hac oratione violatas esse dixit, ne ipse quidem satis erat peritus. Pergamus iam ad singula enarranda.

Atque primum quidem vituperandi ansam Wolfius arripuit ex § 3, ubi Cicero scripsit: „sed, quoniam ille demens, si ea, quae ego per hos dies in Senatu de republica sensi, vituperasset, aliquem se aditum ad aures vestras habiturum putavit.“ Scribere debuerat, inquit censor, „vituperaret“, si modo ipsa vituperandi actione aditum ad aures se habiturum putabat. Sed hic plusquamperfecti, quod vice coniunctivi futuri II. fungitur, usus facile defenditur. Nam Clodius aditum ad aures pontificum habere aut eos benevolos facere non potuit, nisi ante ea verba fecerat, quae audiri voluit. Saepe ita Latini futuro II. contra nostri sermonis consuetudinem usi sunt. Longum est huius usus, qui ex grammatica constat, exempla afferre. cf. Savels, Comment. p. 6.

Deinde vero W. offendit in infinitivo „gratulari", (c. IX, 22) quod male esset suspensus. Quem Savels l. l. p. 17 ita defendit, ut ad infinitivum „gratulari" ex superioribus verbum dicendi repetendum esse dicat. Sed ne hac quidem defensione huic loco opus esse mihi videtur; nam saepe subito nullo verbo dicendi antecedente incipit oratio indirecta. Eodem iure atque hunc locum potuit Wolfius vituperare apud Caesarem: b. G. l. I. c. 2: perfacile esse cet; c. 20: scire se illa esse vera; c. 11: ita se omni tempore de populo Romano meritos esse; c. 30: intellegere sese; c. 37: sese ne obsidibus quidem datis pacem Ariovisti redimere potuisse.

Neque melior est causa Wolfii in c. XII § 32, ubi criminatur constructionem verborum: „cum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiam vestra in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam", de qua non est, quod operosius explicem, quia hic Tullii usus satis est notus. V. Madvigii grammat. lat. (Lat. Sprachlehre für Schulen, 2. Aufl.), ubi in § 358. annot. 3. de hoc coniunctivo agitur, qui h. l. eo quoque recte se habet, quod sententiam concessivam exprimi nemo non intellegit. Nam hoc mihi inesse videtur: cum nihil aliud agerem nisi ut vobis purgatus essem et mihi hoc agenti non opus esset copiosa oratione, tamen vestra benignitas provexit orationem meam.

Tum Wolfius (c. XIV § 37) notat, obscurum esse, quomodo verba: „nam adoptatum emancipari statim, ne sit eius filius, qui adoptavit" iungantur cum superioribus. At nemo dubitare potest, quin haec cohaereant cum verbis: venire, dicere se, id autem scire et videre omnes. Neque est, cur in anacolutho haereas; nam verba „neque id obscure nam" a Cicerone ob hoc ipsum sunt posita, ut insequentia verba „emancipari — adoptarit" longiore sententia a vv.: „id autem scire et videre omnes" seiuncta cum his ipsis coniungantur. Langii autem coniectura, qui (p. 21) censet Ciceronem dixisse: neque id obscurari, iam adoptatum emancipari statim mihi reicienda videtur, quod iam adverbium h. l. non quadrat.

Si vero Wolfius in cap. XIX § 49 iudicat, iuncturas „denique etiam — de hac igitur" tam dissolutas esse, ut Ciceronis esse non possint, illud monendum est, in sententiis „nomen Sex. Propertii detulit: accusare . . . . non est ausus" inesse formam asyndeti adversativi. Hoc autem fit, ut sententiae non modo non dissolvantur, sed potius re opposita contineantur. Sic vertas: er gab den Namen des S. Pr. an; die Anklage aber durchzuführen wagte er nicht. cf. Naegelsbach, lat. Stilistik § 199.

In eiusdem capitis § 50 Wolfius coniunctivum „retulerit" ad grammaticam rationem scriptum esse negat. Sed haec res, utcunque se habet, nullius omnino momenti est, quoniam illa „quod M. Tullius — retulerit" non Ciceronis verba sunt, sed ab eo ex lege ad verbum laudantur.

Rem vero iniustam agit Wolfius, cum in cap. XX. § 53 ad verba: nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio rege placeret, de exulibus Byzantiis displiceret, monuit: „Nemo Romanorum, quod sciam, sic loquitur: Senatui, populo, displicet de hac vel illa re". At si censor hunc locum accuratius inspexisset, eum non fugisset, nonnulla esse supplenda: nam haec voluit Cicero dicere: nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio rege placeret id, quod erat rogatum, de exulibus Byzantiis non displiceret.

Vix operae pretium esse videtur excusare, quae Wolfius in c. XXII § 56 vituperavit. Nam cum ibi exempla illius usus sermonis afferret, quo saepe latini, ubi plusquamperfectum exspectatur, utuntur imperfecto, ut eam enallagen non insolentem aut vitiosam esse iudicavit, ita in verbis, quae in c. XXXXIII. § 114 leguntur: „hoc si quis diceret . . . . . nonne responderes" durissimam esse opinatus est. At ego me fateor non sentire, cur haec enallage hic durior sit, quam aliis locis Ciceronianis velut Phil. VIII, 1: num eum, si tum esses, temerarium civem aut crudelem putares? cf. de hoc usu imperfecti Etzler in Jahnii ann. a. 1829 XI. p. 212.

Manifestum νοθείας signum Wolfio id visum est, quod in cap. XIV § 37: „cur enim quisquam vellet, tribunum plebis se fieri non licere" et in cap. XIX § 51: quem tu ipse non poteras dicere non licere esse Romae, scriptum est. At censorem fugit, eandem constructionem inveniri pro Quinct. 94: si licet vivere eum cet; in Verr. V, 84: Syracusanum in ea parte habitare non licet; pro Flacco 55: Hanc te — capere non licuit; et aliis locis; v. Merguet, Lexikon zu den Reden des Cicero, III, p. 57.

Iam Wolfius ad c. 27 § 71 reprehendit haec: non enim voluisti id, quod licebat, ferre ut liceret, sed me ita esse in republica; non nimis, inquit, latina sunt verba: me ita esse in republica. At utinam Wolfius nobis dixisset, quomodo Cicero haec dicere deberet. Haec vult dicere orator: „Denn du wolltest nicht beantragen, dafs das, was an und für sich schon erlaubt war, erst erlaubt werden sollte, sondern einfach, dafs ich also im Staate mich befinden sollte, dafs es mehr schien, ich sei herbeigerufen, als" cet. Sed ex ipso Cicerone tuebor haec verba; nam in epistola ad P. Servilium data (ep. ad fam. XIII, 69): apud eum, inquit, ego sic fui, quotiescunque fui, tamquam domi meae.

In verbis, quae in cap. XXXII § 86 sunt: „mihi sine ullo iudicio populi profecto .... maledicti locum aut criminis obtinebit“ displicuit Marklando dativus: „mihi profecto“. Debebat, inquit, esse in me nec latinus videtur usus huius dativi. Equidem, quamquam concedo „in me“ magis grammaticae rationi respondere, tamen nego dativum „mihi“ hoc loco ab usu sermonis latini abhorrere. Iam summus Ernestius, qui et ipse esse debere „in me“ intellexisset, tamen ulla emendatione opus esse non putavit. Ne Wolfio quidem, quamquam aliis locis ineptiis Marklandi plaudere non dubitavit et omnem offensiculam exaggerare studuit in dativo „mihi“ gravior offensio inesse videbatur. Errarent autem, si qui dicerent dativum declamatori inconsiderate excidisse; nam bene monuit Ernestius, scriptorem h. l. dativo ob eam causam usum esse, ut dativis antecedentibus „his damnatis“ insequentia redderet similia. Audio, quid adversarii dicturi sint: Nonne hoc ipsum prodit miserum magistellum ubique argutias captantem? Quibus ego: Numquam in hac oratione, si a declamatore scripta esset, talia legeremus, quibus iure adversarii offensi sunt. Nam declamator nihil antiquius habuisset quam ut omnia satis expoliret neve quod vituperandum esset relinqueret. At orator, qui in foro versatur, minus anxius non unumquodque verbum statera examinare solet et interdum nonnulla formae rhetoricae condonat. Scriptorem autem huius orationis non ubique formam rhetoricam captavisse, ex eo intellegitur, quod in cap. XXIII. non arripuit occasionem, ut dativo antecedenti „illis“ opponeret dativum „mihi“, sed contentus usitata constructione scripsit „in me“.

Manifesto Marklandus falsarium deprehendisse sibi visus est in c. XXXXII § 110 (cum me indemnatum exturbares), quod in verbo exturbandi omissus esset ablativus casus; verum autem Ciceronem in illo verbo nunquam omisisse, nisi ubi ex alio membro orationis subaudiri posset. Neque contrarium colligi posse ex epist. ad Att. VIII, 16 et orat. pro Cluentio c. V, § 14 (exturbata filia), ubi ex reliqua oratione suppleri posset: domo. At res hoc loco non aliter se habere mihi videtur quam illis locis a Marklando laudatis; nam quid obstat, quominus aut ex verbis insequentibus (libertatis simulacrum in ea domo collocabas) verbum „domo“ aut ex iis, quae in hac oratione saepenumero sunt commemorata, v.: „civitatem“ suppleamus? Etiam in Ciceronis epistolis ad Brutum I, 16 („quod tanta firmitate ac magnitudine animi direxit in exturbando Antonio“) ubi eodem modo quo hoc loco exturbandi verbum usurpatum est, Marklandus falsarium posterioris aetatis sese ipsum prodere putavit. Sed huius quoque loci causam eandem esse atque in ep. ad Atticum VIII, 16 C. Fr. Her-

mannus, illarum epistolarum acerrimus defensor, docuit. Ceterum ne vera quidem esse ea, quae Marklandus de usu verbi exturbandi disputavit, sed „exturbare“ apud Ciceronem etiam absolute poni dico, quoniam illis ipsis locis, in ep. ad Att. VIII, 16 et orat. pro Cluentio c. 5 nihil cogit, ut ex antecedentibus vel insequentibus verbis quidquam ad verbum exturbandi suppleatur.

Non minus autem erravit Marklandus in cap. XXXXV § 118, ubi in verbis „quanta est in adulescente auctoritas“ pronomen „quanta“ notans „quantacunque“ vel „quanta quanta“, quod in Cic. orationibus nusquam legitur, exspectari iudicavit. Sed quid haec sententia sibi velit, Marklandum plane fugit. Etenim sic vertas hunc locum: insofern ein Jüngling Ansehen besitzt. Quomodo autem pro: „quod meminerim“ dici potest „quantum memini“, sic in hac sententia Cicero neglecta usitata locutione: „quae sit in adulescente auctoritas“ illa, quae Marklando vituperanda videbatur, usus est.

Quo iure Wolfius in cap. XXXXVII § 122 constructionem verborum: „quum domum dedicasses, posset id respublica sustinere“ vitiosum esse contenderit, intellegere non possum. Nam recte se habet. Wolfius autem eius vim et naturam perspexisse non videtur. Est autem coniunctivus, quem grammatici vocant deliberativum. Eius exemplum huic simillimum est in ep. ad Qu. Fr. I, 3: Ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci?

Similiter Wolfius in c. LI. § 132 locutionem „si quid deliberares .... ad pontificem detulisses“ suspectam reddere conatus est.

Ad eam tuendam satis habeo ea afferre, quae a Madvigio in grammatica latina (§ 351 annot. 4) de huius coniunctivi vi sunt exposita, sunt autem haec: Der Conjunctiv des Imperfectum und Plusquamperfectum steht (anratend und befehlend) imperativisch von dem, was hätte geschehen sollen (im Gegensatz zu einer vorhergehenden Angabe des Geschehenen): Curio causam Transpadanorum aequam esse dicebat: semper autem addebat: Vincat utilitas reipublicae! Potius diceret, non esse aequam, quia non esset utilis reipublicae, quam, quum non utilem diceret, esse aequam fateretur. (Cic. off. III, 22.) Multa huius coniunctivi iussivi exempla congessit Halm. ad or. pro Sulla VIII, 25. Haec autem sunt desumpta ex Tullii libris: p. Caec. 16, 46: At ego hoc dico: si, ut primo in castello Caecinae dixit Aebutius se homines coegisse et armasse neque eum, si ille accessisset, abiturum statim Caecina discessisset, dubitare vos non debuisse, quin Caecinae facta vis esset; si vero, simul ac procul conspexit armatos, recessisset, eo minus dubitaretis. Verr. II, 23, 57: Quid enim debuit praetor facere, cum consilio cognita causa cum comperisset suum comitem iuris, decreti,

iudicii corrumpendi causa, qua in re ipsius praetoris caput existimatioque ageretur, pecuniam accepisse, Bidinos autem pecuniam contra praetoris famam ac fortunas dedisse? non et in eum, qui accepisset, animadvertisset et in eos, qui dedissent; ibidem III, 84, 195: quid facere debuisti? Si, quod L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetendis primus tulit, cum emisses, quanti esset, quod superaret pecuniae rettulisses. Hunc coniunctivi usum a Ciceronis consuetudine non abhorrere Naegelsbachius quoque iudicavit, lat. Stilistik edit. VI. p. 284: „Diesen Sprachgebrauch hat Wolf zu dom. 51, 132 verkannt, wo nach den Handschriften zwar anderes zweifelhaft ist, nicht aber das von Wolf beanstandete „detulisses".

In iis, quae Wolfius ad hanc § annotavit, reprehendit iam locutionem, quae est in c. 27, § 70: quorum tibi, si esset illa lex, nihil liceret (nam hanc vituperatam voluit Wolfius, non coniunctivum „iudicarent") quamquam rectissime se habet, dummodo recte explicetur. Nam sic est vertendum: „Obwohl du von dem allem, wenn es ein Gesetz war, nichts thun durftest". Multum autem hic locus proficiet, si levius, quam fieri solet, interpunxeris, quoniam verba: „quorum tibi . . . . . nihil liceret" arte cum ea, quae praecedit, sententia cohaerent.

Sed haec hactenus de iis, quae Marklandus et Wolfius de usu sermonis protulerunt. Hoc autem hac disputatione effectum esse mihi videtur, eorum, quae ad grammaticae rationem spectant, in hac oratione inesse nihil, quod Cicerone sit indignum. Veniamus nunc ad eos locos, ubi in elocutione aut delectu verborum declamator dicitur titubasse. Non omnes autem, sed qui gravissimi nobis videntur, in examen revocabimus.

IV. De elocutione.

Proficiscendum mihi est a locutione „verus concursus" (c. V § 11), quam Wolfius, Ernesti sententiam probans — congerebat enim diligentissime censor ea, quae alii viri docti, multum in Ciceronis libris versati, contra hanc orationem protulerunt — duriorem dixit, quia nihili esset „concursus falsus aut fictus". In ea nihil invenio, quod offendat, dummodo vertas: „wenn er ein natürlicher gewesen ist". Is autem verus concursus est, qui ex dolore et fame hominum nullo instimulante oritur. Cf. Sest. c. 50: Quae contio fuit per hos annos, quae quidem esset non conducta, sed vera, in qua populi Romani consensus perspici non posset?

In eadem § Wolfius particulam „quidem" usu latino non recte observato reprehendit; particula „autem", inquit, esset melius quam „quidem".

Sed „quidem" ut aliis Ciceronis locis, sic hoc idem valet atque „autem" (hiegegen). Ut unum exemplum afferam, in Vat. c. XII, 30: ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulae quidem ipsae dignitatis. Vide Halmium ad h. l. cf. Sest. VII, 15. Naegelsbach, lat. Stilistik. p. 572. Seyffert, pal. Cic. 6. Aufl. p. 93. Guil. Grossmann, de particula quidem. Regimonti. 1880. p. 112 seqq.

Tum in c. VIII § 20 Wolfius scriptori huius orationis iniuriam facit, qui eum boni usus sermonis imperitum fuisse dicat. Quis enim, inquit, ante hunc dixit „homines publicare". Sed inspiciant, qui a Wolfio faciunt, Sest. c. XXVI et c. XXVII: de hoc nihil cogitante . . . est rogatum, ut sedens . . . . praeconi publico subiceretur, et imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus nulla iniuria commemorata, nullis rebus repetitis cum bonis omnibus publicaretur; ille Cyprius miser . . . . vivus, ut aiunt, est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus. Adde Florum III, 9, 3: Divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus et donare regna consuetus P. Clodio trib. duce socii vivique regis confiscationem mandaverit. cf. Naegelsbach, lat. Stil. p. 51; Halm ad Sest. c. XXVI, 57; Klotz ad or. de domo § 20 (Vol. III p. 943; Lipsiae 1839). Savels comment. p. 16.

Magnum documentum, ne quidquid formam rhetoricam prae se fert, Cicerone indignum esse dicamus, in c. IX § 21 habemus, ubi in verbis „quem tu in eo negotio non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras" molestus lusus verborum inesse videbatur Wolfio non cogitanti hanc adnominationis speciem (auct. ad Her. IV, 21, 29) saepissime in Ciceronis orationibus inveniri, velut pro Sulla IV, 12, XVI, 47, XXII, 63, in Verr. II, 72, 179; conf. Halm ad Sull. IV, 12: „Nihil enim frequentius est in orationibus Tullianis hac annominationis specie, qua verba simplicia et composita vel diverse composita inter se opponuntur". Alterum huius figurae exemplum est in c. XXXVI § 96: „remque publicam concidere unius discessu quam omnium interitu occidere malui". Hoc quoque Cicerone indignum putavit Wolfius. „Subducere" autem non id, quod J. Badeno opusc. lat. p. 115 visum est, significat, sed idem valet atque relegare („den du von Rom fortgebracht hattest"). Neque magis quid esset pro tuo scelere, intellexit Wolfius, qui haec verba soli concinnitati data esse putabat. Est autem „pro tuo scelere" quod nos dicimus: „entsprechend deinem Frevel". cf. Savels comment. p. 17.

Vindicandus est orator in c. IX § 24 quoque a reprehensione Wolfii locutionem „eas — decretas rescidisti“ latinam esse negantis. De hac re disseruit Naegelsbachius l. Stil. p. 97. Contra eum disputavit Eduardus Luebbertus, qui commentationum syntacticarum, quas supra nominavimus, particula 1 (de structura participii perfecti passivi pro substantivo verbali positi) exemplorum, qualia attulit Naegelsbachius, longe diversam rationem esse ab loco in oratione de domo ostendit; in illis enim ad id, quod participio exprimeretur, praedicatum ita referri, ut hominis vel affectus ex hac re ortus vel iudicium de eadem re indicaretur sine ulla rei significatae mutatione, in hoc vero exemplo actione quadam extrinsecus illata affici illam rem et dissolvi. Sed hanc controversiam diiudicavit Langius (l. l. p. 20) qui provinciae vocabulo h. l. proprio sensu earum actionum, in quibus singulorum consulum et praetorum imperium praevaleret, ambitum significari ostendit; provincias rescindere eodem iure dici posse, quo diceretur provincias prorogare; nam in hac quoque dictione provincia non ipsam terram significari, sed imperium certis quibusdam finibus senatus consulto vel lege circumscriptum et constitutum; dictionem igitur provincias rescindere cum in ipso vocabulo provinciae notio constitutorum finium inesset, eadem cogitandi ratione niti ac dictiones constituta rescindere (ad Att. 6, 1, 2), pactiones factas rescindere (de prov. cons. 5, 10), acta rescindere (Phil. 13, 3, 5), res iudicatas rescindere (pro Sulla 22, 63). Deinde cum Wolfius in hac § et c. XI, 30 et XXIV, 63 in verborum repetitione offendit, monendum est huius dictionis minus accuratae sexcenta exempla apud optimos scriptores inveniri, sic in primo capite dialogi de oratoribus ingenium voc. quinquies positum est, cf. hanc sententiam ex Caes. b. G. I, 49 desumptam: Ubi eum castris se tenere Caesar intellexit, ne diutius commeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus DC ab iis castris idoneum locum delegit acieque triplici instructa ad eum locum venit . . . . Hic locus cet.

In c. X § 24, ubi Wolfius exemplum perperam instituti zeugmatis deprehendisse sibi visus est, nihil invenio, quod defendam; neque enim intellego, cur „perferre“ ad verba: constituere, promittere, vendere aptum esse negetur. Omnia sana sunt neque explicatione Savelsii opus est: si non rogationes pertulisti de iis, quae const., prom., vendidisti.

Iam vero argutias captare mihi videtur Wolfius, cum in c. X § 25 verba: excitatus aliquando Cn. Pompei nimium diu reconditus et penitus

abstrusus animi dolor deteriora esse, quam, quae de eadem re in Sest. c. XXXI legantur, probare conatur. Satis habeo, adversarios ea admonere, quae Naegelsbachius (lat. Stilistik p. 435 et. seqq.) de hoc loco exposuit.

In proxima paragrapho locutio „ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentariam esse ereptam" quam Wolfius pessimam esse putavit, compluribus locis (ad Quint. fratr. I ep. 1, pro Arch. c. 9, in Cat. II c. 1), quos Savelsius in comment. p. 20 ad hunc locum attulit, satis defenditur. cf. Phil. II, 68: tu illarum aedium dis penatibus os impurissimum ostendere? et V, 20: in me absentem orationem ex ore impurissimo evomuit.

In c. 16 § 41 plane artificium Ciceronis fugit Wolfium, qui, cum orator solum C. Caesarem cogitaret, numerum pluralem „quosdam viros" accusavit. At ne omnis culpa in Caesare solo haereret et in alios quoque transferretur, Cicero prudenter et caute plurali numero usus est.

Rariorem vocat Wolfius structuram verborum, quae in c. XVII § 44 leguntur, „Velitis, iubeatis, ut M. Tullius in civitate ne sit, bonaque eius mea sint". At pueri sciunt, a Cicerone in hac formula verbum iubendi semper cum particula „ut" construi. cf. H. Menge, Repetitorium der lat. Grammatik und Stilistik, p. 167 § 439; praeterea Dr. Raphael Kühner, ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache. II, 1 p. 530 („wenn iubere nicht die Bedeutung von heifsen, lassen hat, sondern von verordnen, beschliefsen, so wird es mit ut und negativ mit ne c. coni. verbunden").

Sunt duae res, quae Wolfium in c. XX § 53 offendebant, una singularis numerus cistophorum, pro quo cistophorûm M. lenis correctio ei esse videbatur, altera Hispania memorata, unde L. Pisonem cum Cn. Pisone confusum esse existimat. At censorem plane fugit, Ciceronem eodem singulari usum esse in epist. ad Att. II, 16, ubi legitur: ego in cistophoro in Asia habeo ad H. S. bis et vicies. Quod autem Hispania provincia memorata est, L. Pisonem cum Cn. Pisone, quem in citeriorem Hispaniam quaestorem pro praetore missum esse ex Sallustii libro de coniur. Cat. scimus, esse confusum mihi ideo verisimile non est, quod Cicero certos homines hac in re cogitasse non videtur; sed hoc statuendum puto, oratorem, ut remotissimas provincias afferret, Syriam et Hispaniam exempli causa posuisse.

Nihil audacius video in conformatione verborum „labes atque eluvies civitatis" in c. XX § 53, quae Wolfio non ferenda esse videbatur. Nam

praeterquam quod, quae iudicio Romanorum molestae fuerint metaphorae, quae elegantes, nostris temporibus non iam statui potest, simillimam huic translationem in interrog. in Vat. c. IX („in colluvione Drusi“) invenimus. cf. in or. de har. resp. c. 26: „hanc tantam colluvionem tantamque eversionem civitatis“. Etiam sententia: „si in ipsa latione tua lapides iacti, si manus collata non est“, recte se habet, nam facillime paucis verbis interiectis „non“ particula ad verbum „iacti“ quoque referri potest.

In c. XXI § 54, ubi legimus: „quum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam servos“ non est supervacua adiectio „non modo liberos“, propterea quod orator Clodio non servorum delectum, sed omnino delectum crimini ducit; addidit autem, ut inimico invidiam conflaret, ab eo non modo liberos, verum etiam servos esse conscriptos.

Iam vero non displicet voc. „modeste“, dummodo eo hoc loco significari videas, quod nos dicimus „loyal, gesetzmäſsig“; haec autem dicit Cicero per ironiam: cum gradus templi, in quo leges tuae ferebantur, convellisti ac removisti, tum, ut legitime tibi agere liceret, homines audaces, qui intercedere vellent, ab eius aditu reppulisti.

Quod Wolfius p. 206 negat, Ciceronianum esse „crudelitatem in aliquem habere“, eum fugit, simili locutione Ciceronem usum esse pro Cluentio § 151, ubi legimus: „pro illo odio, quod habuit in equestrem ordinem“. cf. Tull. 21.: „tantum . . . odii crudelitatisque habuerunt“, et de officiis II, 7, 24: „Sed iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saevitia, ut eris in famulos, si aliter teneri non possunt“.

Porro Wolfius languere multa iterum ac saepius dicta haud raro monuit; velut ad c. 24 § 62: Usque ad ravim, inquit, repetit, quae supra audivimus, non iudicium aut legem de se latam esse; ad c. 26 § 69: Ipsa res paucis interiectis putide repetitur § 71. At Wolfius multum versatus in Cicerone, si integre ac tranquille iudicasset, in hac oratione non plura repeti quam in ceteris Ciceronis orationibus intellexisset. Multa autem iterum ac saepius a Cicerone in eadem oratione dicta esse, iam vetus quidam scholiasta diserte dicit; Pseudo-Asconius in act. II in C. Verrem lib. I § 7 (Orelli p. 157): „Proprium Ciceronis, et in orationibus et in dialogis et in epistolis eandem saepe sententiam dicere“.

Maximam operam dat Wolfius, ut verba, quae in c. 24 § 62 leguntur, „cum domus in Palatio — funditus everteretur“ meras quisquilias esse probet. „Domus et villa, inquit, nescio quibus machinis ablatae sunt ad duo consules: columnae ex domo asportatae; ex villa non solum ornamenta,

sed et instrumenta, sed et ipsae arbores asportatae: (quid iam reliqui censes?) ipsa villa funditus eversa, ac ne hoc quidem factum est cupiditate praedae, (non multum enim offerebat res angusta domi (!): cf. tamen § 60), sed solo incredibili amore vindictae". Haec verba si animo perlustramus, Wolfium magis calumniari, quam explicare hanc § satis intellegemus. Neque enim quidquam in ea legimus, quin Cicero ipse in aliis libris auctor exsistat. Atque primum quidem in verbis „domus et villa ad consules transferebantur", quae W. ita perstringit, ut domum et villam machinis ablatas esse explicet, nihil aliud inest nisi quod in Sest. c. 24 invenitur: „bona (neque enim domus et villa ipsae, sed bona domus et villae in oratione de domo intellegenda sunt) ad consules deferebantur"; deinde satis apparet columnas ex aedibus, instrumentum („Einrichtung"), ornamenta („Kunstgegenstände"), arbores ex villa asportata bona esse, quae ablata esse in Sest. l. l. legimus eaque a scriptore oratorie in plures res esse dispertita. Tum villam esse eversam ex ep. ad Attic. IV, 2 § 5 constat. Itaque nihil falsi, nihil commenticii. Quod autem verba huius § „quid enim erat praedae" et § 60. („argenti et supellectilis meae cupiditate esse caecatum") inter se pugnare censor existimavit, omnia recte se habent, dummodo illa verba sic vertas: „denn was konnte zur Beute dienen" sc. consulibus, qui provinciarum spoliis brevi facultates suas augere possent; neque enim mihi, ut Wolfio, significare videntur, omnino nihil praedae in Ciceronis villa fuisse.

Malitiose Wolfius, ut in scirpo nodum quaerat, in c. XXIV § 63 verba „vim improborum" quibus nihil aliud significari quam iram improborum ex § 86 („populi incitati vim iracundiamque subierunt") patet, in suspicionem vocare conatur; non tanti est de hac re pluribus dicere; non minus in c. XXIX § 78 Wolfius iniuriam facit, qui verba „referri rem iudicatam" a Lambino optime illustrata obscura et auribus Romanis inaudita esse temere dicat.

Locutio „discessu meo" i. e. post discessum meum, (cf. § 17: quem ad modum discessu meo frugum inopia . . . fuisset; et § 122 et p. Sest. § 128) quam in c. XXXII § 85 legimus, Wolfio a Ciceronis usu abhorrere videbatur, cum ignoraret, eam eodem sensu legi in libro de legg. II, 17: Cum perditorum civium scelere discessu meo religionum iura polluta sunt, vexati nostri Lares familiares cet. Multa huius usus exempla congessit Naegelsbach, lat. Stilistik p. 278. Sic Wolfius ubique, cum in rariorem locutionem incidit, ex ea declamatorem cognosci putat, velut in c. XXX § 80, ubi vocabulum „potestas" et particulam „tum"

vituperavit aut in c. XIX § 50, ubi Ciceroni verbum simplex „tangere“ in mentem venire non potuisse putat, cum in epist. ad fam. II, 17, 4 scriptum sit: „De praeda mea .... teruncium nec attigit nec tacturus est quisquam.“ Sed hanc rationem si sequeremur, nullus fere liber antiquus superesset, quin subditicius haberetur.

Non minus perversa ratione uteretur, si quis hanc orationem Tullio derogaret, quod in cap. XXXIII § 89 non omnia ad amussim conveniunt. Nam quamquam locutio „impelluntur optent quotidie caedem incendia rapinas“ iis, qui omnem sententiam, omne verbum in legendis libris religiose observant, ridicula videtur, tali ἀνακολουθίας specie in vehementi orationis genere audientium animos non offendi satis apparet. Sexcenties cum attentius legebam, in eorum, qui disertissimi nostrae aetatis habentur, orationibus talia deprehendi. Verbum frequentandi eodem sensu atque in hac § etiam in Cat. IV § 15 legi iam Graevius suo iure monuit; quare erravit Wolfius, qui illic nescio quid aliud inesse iudicavit.

Etiam in c. XXXV § 94 non omnia expolita sunt et splendentia. At quae Ciceronis oratio plane caret levibus mendis? Hoc quoque leve mendum est, quod Marklandus, Ernestius, Wolfius deprehenderunt: illius pulcherrimi facti quod gessissem; infra in § 95 positum est: res pulcherrima. Facilius autem mihi illa locutio ferenda esse videtur, quod „pulcherrimi“ adiectivum ante „factum“ positum est, quo fit, ut „factum“ minus sit conspicuum. „Retinere“ autem, quod idem valet atque conservare vel sustinere (cf. c. 2 § 3: dignitatem reipublicae sustinent) recte positum est. Nam legimus in Verr. II, 3, 14: equites Romani, qui suum ius retinere se contra Apronium posse erant arbitrati et de divinat. II, 35: existimo ius augurum, etsi divinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reipublicae causa conservatum ac retentum.

Cur Wolfius locum (c. XXXIV § 92) „non tam insolens sum — sivisti“ putidissimum dixerit, non intellego. Non excusatione, sed explicatione eget. Sic autem vertendum est: „Dafs ich sage, ich sei Juppiter, damit bin ich nicht so unverschämt, als ich darin meine Unwissenheit zeige, wenn ich glaube, Minerva sei die Schwester des Juppiter.“ Recte sic explicuit Ernestius: Clodius insolentiam obiecerat, Cicero multo magis se indoctum dicit, quod Minervam sororem suam dixisset, de Clodii scilicet criminatione. V. Klotz ad h. l. p. 964.

In c. XXXVIII § 102 Marklandus iniuria accusat locutionem „domus eversa est, in qua porticum Qu. Catulus fecit“, cum scribi oportuisse dicat „in cuius area cet“. At nullius offensionem hoc brevius dicendi genus

movebit, qui legerit apud Livium VIII, 19 § 4 „aedes fuere in Palatio eius, quae Vacci prata diruto aedificio publicatoque solo appellata". Quamquam autem non aedes, sed dirutis aedibus area Vacci prata appellata sunt, tamen nemo adhuc exstitit, qui hic „quarum area Vacci prata . . . . appellata" postularet. cf. epist. ad fam. XIV, 2: Quod de domo scribis, hoc est de area, et ep. ad Att. III, 20. Similiter apud Caes. b. G. II, 17 „castra" scriptum est, ubi exspectes „locum castris constitutum".

In proxima § Cicero ex sententia Wolfii pro indicium scripsisset monumentum. Nos vero censori non assentimur, qui Ciceronem in Pis. c. XXXVIII § 92 voc. indicium eodem sensu atque h. l. usum esse sciamus; legitur h. l.: Eaque, quae bellicae laudis victoriaeque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerunt, noster hic praeposterus imperator amissorum oppidorum, caesarum legionum, provinciae praesidio et reliquis militibus orbatae ad sempiternum dedecus sui generis et nominis funesta indicia constituit. „Defixum indicium" vero, cur stili Ciceroniani non sit, ne divinando quidem assequor.

Ad c. XXXX § 105 Marklandus attulit verba Lambini, cui locutio „nimium esse superstitiosum" suspecta esse videbatur. „Quid est" inquit, „hoc nimium esse superstitiosum"; ut aliquis reprehendatur, nimis superstitiosum non necesse est, sed quisquis superstitiosus est, eo ipso vituperandus est. Iam Gesnerus allato loco Terentii (Hec. V, 4, 13) bene monuit, eum, qui ita loqueretur, hoc indicare, si etiam aliquantulum superstitionis concederetur, in confusis adeo et permixtis religionis superstitionisque terminis, tamen nimium excedere modum religionis, nimium superstitiosum esse non convenire. Wolfius autem hanc defensionem non probavit: „nam verba non oportere", inquit, „plane arguunt, aliquem superstitiosum esse oportere, non modo licere vel concedi". Minime; sed id ipsum, quod Gesnerus voluit, arguunt aliquantulum superstitionis concedi. Iis autem, qui ita huius locutionis patrocinium susceperunt, ut superstitionem hoc loco dici pro religione docere studerent, non assentior, quod ex proximis verbis „anili superstitione" satis apparet, Ciceronem non de religione, sed de superstitione cogitasse.

In extremo libello in animo est locum § 34 tractare, quo Wolfius, cum eum non recte intellexerit, dissipatum oratorem, qui materiem dicendi instruere nesciret, prodi existimavit. Est locus: Videsne me non radicitus evellere omnes actiones tuas neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse iure, non fuisse tribunum pl., hodie esse patricium. Dico apud pontifices, augures adsunt: versor in medio iure

publico. Manifestum est, inquit, haec male cohaerere cum antecedentibus; ex quo quis locum lacunosum esse coniciat. Sed optime verba „videsne me non . . . . . iure publico“ cohaerent cum antecedentibus, modo recte explicentur. Haec autem est sententia: Cicero dicit, (nego potuisse — detrahi possit) se contra omne ius publicum e patria esse eiectum; de hac re i. e. de laeso iure publico se esse acturum; non acturum sese (videsne . . . . versor in medio iure publico) contra ius pontificium Clodium tribunum fuisse. At videtur orator in eis, quae statim sequuntur, a verbis „quod est, pontifices, ius adoptionis“ usque ad extremam § 42 in eam sententiam disputare, Clodii contra ius pontificium factam esse adoptionem eiusque tribunatum esse concidere. Sed Cicero, quamquam id agebat, ut sibi contra ius publicum aqua et igni interdictum esse doceret et totum ius pontificium omitteret, tamen subsecivis operis, ut aiunt, ius pontificium interposuit et demum initio § 43 (Fueris sane tribunus plebis) ad iustum ordinem rediens nihil de se iure publico actum, sed omnia contra leges gesta esse demonstrat. Ubi igitur est illa lacuna, quam W. statuit, non librariorum oscitatione, sed culpa oratoris dissipati nata? Deinde Wolfius irridet sententiam: „Dico apud pontifices, augures adsunt: versor in medio iure publico“ (sic enim est interpungendum). Quomodo enim, inquit, quis se versari putet in medio iure, in media theologia, cum ei dicendum est coram collegio doctorum iuris vel theologiae. Sed quid Cicero declarare vellet, W. plane fugit. Nam sic interpretatus est: Quoniam apud pontifices orationem habeo, in medio iure publico versor. Verum si ita res se haberet, vocabulum „versor“ non primum locum teneret, sed post „iure publico“ esset positum. Sed ex hoc verborum ordine consequens est, verba: „versor in medio iure publico“ antecedentibus esse opposita et idem valere ac: „sed in medio iure publico versor“, aut: „quamquam hoc apud pontifices dico, tamen in medio iure publico versor“. Porro verba „dico apud pontifices“ referenda sunt ad illa, quae antecedunt „neque illud agere . . . . gessisse iure“. Haec est igitur explicatio: „Iure pontificio non fuisti tribunus plebis, hodie es patricius. Tamen haec solam ob eam causam dico, quod apud pontifices mihi dicendum est; sed non curo ius pontificium et in iure publico solo versor, quod, cum tribunus esses, laesisti.“ Magnam similitudinem cum hac sententia invenimus in loco, qui est de legg. II, 21, 53: Hoc vero nihil ad pontificium ius, sed e medio est iure civili.